D. Thompson Gal. 10. F. 9.

1720

DISQUISITIONES MODESTÆ

In CLARISSIMI

BULLI DEFENSIONEM

Fidei NICENÆ.

AUTHORE

DANIELE WHITBY, D. D.

Sed nunc nec ego *Nicenum*, nec tu debes *Ariminense* tanquam præjudicaturus proferre Concilium; Nec ego hujus Authoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum Authoritatibus, non quorumq; propriis, sed utriſq; communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa ratio cum ratione concertet. *Auguſtinus contra Maximinum*, l. 3. cap. 14. p. 733. *Edit. Baſil. A. D.* 1569. *Tom.* 3.

Editio Secunda.

LONDINI:

Impenſis *A. Batteſworth* ad Inſigne Leonis Rubri, & *J. Batley* ad Inſigne Columbæ, in Vico vulgo vocato *Pater-Noſter-Row*. 1720.

DISQUISITIONES MODESTÆ

In CLARISSIMI

BULLI

DEFENSIONEM

Fidei NICENÆ.

MUSEUM BRITAN

Editio Secunda.

LONDINI:

Impensis A. Bettesworth ad Insigne Leonis Rubri, & J. Batley ad Insigne Columbæ, in Vico vulgo vocato Pater-Noster-Row. 1720.



Viro Clariſſimo, atq; Integerrimo,

Samueli Clarke, S. T. P.

Εὐπραγίαν, καὶ εὐδαιμονεῖν.

QUÆ in hoc libro ſequente continentur, ſunt à me ſcripta, Vir eximie, non ut ſententiæ tuæ, quam nondum ex omni parte perſpectam habeo, patrocinium in me ſuſciperem, aut ei calculum noſtrum adjicerem. Ut verum fatear, multa ſunt quæ me impediunt quo minus à ſententia de vera Chriſti Deitate recederem. Id ſolum contendo, controverſias de S. Trinitate motas, magnaq; animi contentione, & ſummâ verborum acrimonia, in utramq; partem diſputatas, ex Patrum Scriptis, ex Conciliorum placitis, aut Traditionis univerſalis perſpicuis documentis, certo definiri non poſſe; nec aliud de ijs vel credendum,

vel tuto dicendum esse, quam quod ex S. Scripturis plane & perspicue probari potest.

Non me latet, Frater dilectissime, *Præsulem* doctissimum, & de his rebus summa cum laude differentem, contendere, Patres omnes *Antenicænos* in eandem cum orthodoxis hodiernis sententiam conspirasse. Hunc autem librum πολυθρύλλητον, post strictius examen à me multis ab hinc annis præstitum, haud raro inveni, meo saltem judicio, à rei veritate aberrantem, & incassum plane laborantem. *Justinum* siquidem, *Origenem*, *Dionysium Alexandrinum*, *Theognostum*, *Pierium*, *Pamphilum*, *Lactantium*, *Eusebium Cæsariensem*, invitâ plane *Minervâ*, ad fidem orthodoxam adducere conatur Vir magnus; si fides *Basilio*, *Hieronymo*, *Photio*, *Huetio*, *Petavio*, *Cotelerio*, magnis pariter nominibus, adhibenda sit. Quæ in hanc rem congessimus, ex Adversarijs nostris, in quibus diu latitabant, in lucem denuo produximus: Juvat tamen pauca præfari, quæ *Præsulis*, non sine honore nominandi, argumenta, quibus prædictos Patres fidem orthodoxam & cum symbolo *Nicæno* conspirantem tenuisse contendit, elevare ijsq; robur adimere non raro videantur.

Primò igitur observandum est, multa quæ *Præsul Clarissimus* adduxit ad fidem *Nicænam* ex Patribus hisce adstruendam, haud alia esse quam quæ à Scriptoribus à fide ista prorsus alienis sæpius agnoscuntur. Exempli gratia, agnoscunt fere omnes, *Ignatij Interpolatorem*, de Christi deitate, sacræq; Trinitatis pari dignitate,

nitate, ſecus quam veritas poſtulabat, docuiſſe. Is autem in * Epiſtola ad *Epheſios*, Chriſtum *Dominum καὶ θεὸν ἡμῶν τὸ πρὸ αἰώνων γεννηθέντα & Deum noſtrum ante ſæcula natum pronuntiat*; & tamen in † eadem Epiſtola, *Medicus*, inquit, *noſter eſt ὁ μόνος ἀληθινὸς θεὸς, ὁ ἀγέννητος, καὶ ἀπρόσιτος, ὁ τῶν ὅλων κύριος, ſolus verus Deus, ingenitus, & inacceſſibilis, omnium Dominus, & unigeniti Pater & genitor.* In Epiſtola ad ‖ *Magneſianos*, Chriſtum agnoſcit eſſe λόγον θεὸν *Deum verbum ante ſæcula genitum*, immo πρὸ πάντων αἰώνων *ante omnia ſæcula*; & tamen, eadem ſectione, dicit Chriſtum τοῖς ἔξωθεν εἰς πολυθεΐαν *in polytheiſmum erumpentibus prædicaſſe* τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν θεὸν τὸν ἑαυτοῦ πατέρα *unum & ſolum verum Deum, nempe Patrem ipſius.*

* Sect. 15, 18.

† Sect. 11.

‖ Sect. 6, 11.

Idem judicium certius ferendum eſt de Authore Epiſtolarum ad *Tarſenſes*, *Antiochenos*, & *Philippenſes*. In Epiſtolæ enim ad *Tarſenſes* proœmio, Chriſtum appellat Σωτῆρά μου, καὶ θεὸν, *ſalvatorem & Deum meum.* Et tamen continuo eos inter *Satanæ* miniſtros collocat, qui dicunt ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὑπὲρ πάντων θεὸς *quod ipſe eſt Deus ſuper omnia.* Juxta eundem, Sectione ſecunda, Chriſtus eſt θεὸς λόγος *Deus verbum qui fecit omnia*; quod quidem Sectione quarta multis probat, & præcipue ex verbis *Joannis Evangeliſtæ*, cap. 1. verſ. 1, 2, 3. Et tamen ſectione tertia, contendit ὅτι οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ ὑπὲρ πάντων θεὸς *quod ille non eſt Deus ſuper omnia, ſed Filius ejus.* Quod probat ex his Chriſti verbis, *Ego aſcen-*

do ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, ad Deum meum, & Deum veſtrum. Et ex his D. *Pauli*; *Quando ei omnia fuerint ſubjecta, tunc & ipſe ſubjectus erit illi qui ei ſubdidit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus:* ἄκων ἕτερός ἐστιν ὁ ὑποτάξας, καὶ ὧν τὰ πάντα ἐν πᾶσι, καὶ ἕτερος ᾧ ὑπετάγη, ὃς καὶ μετὰ πάντων ὑποτάσσεται; *nonne igitur alius eſt qui ſubjecit* (Filio) *omnia, & qui eſt omnia in omnibus, & alius is cui ſubjecit omnia, & qui cum omnibus ſubjicitur?* Epiſtola ad * *Antiochenſes* monet eos neq; multitudinem Deorum inducere, nec Chriſtum prætextu unius Dei negare; *quiſquis enim ἕνα καὶ μόνον καταγγέλλει θεὸν ἐπ' ἀναιρέσει τῆς τοῦ χριστοῦ θεότητος, οὗτος διάβολος, unum & ſolum Deum prædicat in everſionem Deitatis Chriſti, Diabolus eſt*; Et tamen in eadem epiſtola, ex *Moſis, Prophetarum,* & *Chriſti* verbis probat *unum ſolum verum Deum eſſe Patrem.* In Epiſtola ad † *Philippenſes*, Chriſtum eſſe *Deum verbum* ſæpius agnoſcit; & tamen *unus*, inquit, *eſt Deus & Pater, non duo, aut tres,* εἷς ὁ ὢν, καὶ ἐκ ἔστιν πλὴν αὐτοῦ, ὁ μόνος ἀληθινός, *unus eſt ſolus verus* (Deus) *& non eſt præter eum*: Unde Dominus præcepit baptizare gentes non *in unum Trinomium, neq; in tres unius ejuſdemq; honoris.* Et ſectione ſeptima *Diabolum* ſic alloquitur: *Cur Chriſtus tibi videtur non eſſe ex virgine,* ἀλλ' ὁ ὑπὲρ πάντων θεὸς *ſed Deus ſuper omnia? Dic ergo* τίς ὁ τοῦτον ἀποστείλας, τίς ὁ τούτου κυριεύων; γνώμῃ δὲ τίνος αὐτὸς ἐπειθάρχησε; *quis ergo illum mittens? Quis ſuper illum dominium habens? Aut cujus conſilio obtemperavit?* Idem

* *Sect.* 5.

† *Sect.* 2. *Vid. Annot. Uſſer.*

Idem prorsus sentiendum est de *Constitutionum Apostolicarum* sive Authore, sive Interpolatore, qui in libri primi præfatione Christum τ̃ θεὸν ἡμῶν *Christianorum Deum* nuncupat; libro 5. cap. 7, * eum dicit βουλήσει μόνῃ *sola voluntate ea quæ Pater jussit, produxisse, cœlum, terram, mare,* &c. & lib. 6. cap. 11, introduxit Christianos profitentes Christum esse θεὸν λόγον *Deum verbum, & hominem*: Et deniq; lib. 5. cap. 16, carpit *Judæos* qui noluerunt credere Jesum esse Christum Dei πρὸ πάντων αἰώνων ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα υἱὸν μονογενῆ λόγον θεὸν *ante omnia sæcula à Deo genitum, Filium unigenitum, Deum verbum.* Et tamen eodem capite dicit Christianos agnoscere per ipsum τ̃ ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν θεὸν καὶ πατέρα *unum & solum verum Deum, nempe Patrem*; eosq; cap. 6, dicit πιστεύειν ἑνὶ καὶ μόνῳ ἀληθινῷ θεῷ, καὶ πατρὶ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *credere per Jesum Christum uni & soli vero Deo, ac Patri.* Et lib. 6. cap. 14. mentionem facit *Catholicæ Epistolæ* ab universis *Apostolis* scriptæ, in qua significant θεὸν παντοκράτορα ἕνα μόνον ὑπάρχειν, παρ' ὃν ἄλλος οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸν μόνον σέβειν καὶ προσκυνεῖν, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Deum Omnipotentem unum solum existere, præter quem non est alius, eumq; solum colendum, & adorandum esse per Jesum Christum Dominum nostrum.* Et cap. 25. inter *Hæreticos* eos enumerat qui suspicantur αὐτὸν εἶναι τ̃ Ἰησοῦν τ̃ ὄντα πάντων θεὸν *ipsum Jesum esse Deum super omnia.* His adde quod *Arius* ipse Epistola ad *Eusebium Nicomediensem* agnoscit quod Chri-

* P. 246.

stus ὑπὲρ πρὸ χρόνων, καὶ πρὸ αἰώνων πλήρης θεὸς, *ante tempora & sæcula plenus Deus*, apud *Theodoritum* Hist. Eccles. l. 1. cap. 4. * *Synodus Antiochena* profitetur se credere Christum esse θεὸν ἐκ θεοῦ, ὅλον ἐξ ὅλου, μόνον ἐκ μόνου, τέλειον ἐκ τελείου, *Deum ex Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto*: Et tamen addit S. Trinitatem esse τῇ ὑποστάσει τρία, ὁμονοίᾳ δὲ ἕν, *i. e.* Interprete *Hilario*, † *substantiâ tria, consensu vero unum.* † *Synodus Sirmiensis* agnoscit Christum ex Patre natum, *esse Deum ex Deo, lumen ex lumine*; & tamen eodem symbolo dicit, nemini ambiguum esse μείζονα εἶναι τὸν πατέρα τιμῇ, καὶ ἀξίᾳ, καὶ θεότητι, *majorem esse Patrem honore, dignitate, & deitate.* Ex quibus omnibus constat, haud æquum esse hos orthodoxos pronuntiare; illos, qui paria cum ipsis dicunt, *Hæreseos* insimulare; hosve fidei *Nicænæ* propugnatores existimare ob ea, quæ cum ejusdem fidei hostibus infensissimis habent communia.

* *Socrat. Hist. Eccl. l. 2. c. 10.*

† *Socrat. Hist. Eccl. l. 2. c. 30. p. 125.*

Observandum est, *Secundò*, Virum Cl. & in alijs valde perspicacem, in causæ suæ subsidium scripta plane spuria attulisse, & suffragio suo comprobasse. De *Dionysio Alexandriæ Episcopo* sententiam hanc fert magnus || *Basilius. Non omnia istius viri laudamus; sunt quæ prorsus reprehendimus,* πρεσβὺς γὰρ ταυτησὶ τῆς νῦν πολυθρυλλουμένης ἀσεβείας, τῆς κατὰ τὸν ἀνόμοιον λέγω, ἔτος ἔστιν ὁ πρῶτος ἀνθρώποις τὰ σπέρματα παρασχών, *is primus Anomœanæ impietatis semina jecit.* Hinc eum plantatori adsimi-

|| *Epist. 41. p. 60.*

adſimilat, qui plantam ad latus unum inclinantem, in contrarium latus nimium retorquet; *is enim*, inquit, *Sabellij impietati acrius ſe opponens*, εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν *in contrarium malum dilapſus eſt*, καὶ ἐκ ἑτερότητα μόνον ὑποσάσεων, ἀλλὰ καὶ οὐσίας διαφορὰν, καὶ δυνάμεως ὕφεσιν, καὶ τῆς δόξης ἀλλαγὴν, *inducens non tantum diverſitatem perſonarum, ſed & ſubſtantiæ differentiam, & poteſtatis diminutionem, & gloriæ varietatem.* Atq; hinc contigit ut malum malo commutans τῆς ὀρθότητος τῦ λόγυ διήμαρτεν *à recta doctrina aberrarit*; Quo nihil expreſſius dici potuit ad orthodoxiam *Dionyſij* labefactandam. Ad ea vero quæ ex *Athanaſio* profert Præſul Cl. ex *Dionyſij* Apologia ad *Dionyſium Romæ Epiſcopum*, ſatis reſpondet *Baſilius* his verbis: " Verſipellis eſt " in ſcriptis ſuis, nunc quidem τὸ ὁμοούσιον " tollens, ob ea quæ *Sabellius* male dixit in " everſionem perſonarum; nunc autem id ad- " mittens, in Apologia ad ejuſdem nominis " *Dionyſium* miſſa.

Pergit *Præſul* Cl. ad *Dionyſij* orthodoxiam adſtruendam ex ejus reſponſione ad decem quæſtiones *Pauli Samoſateni*; Quod quidem opus eſſe plane ſpurium probat † *Valeſius*. Cum enim *Concilij Antiocheni* contra *Paulum* hæc verba citaſſet, *Scripſit quidem Dionyſius Antiochenis, ſed ducem erroris nec ſalutare dignatus eſt, nec nominatim illi ſcripſit*; hæc adnotat, " Falſa eſt igitur & ſuppoſititia " *Dionyſij Alex. ad Paulum Samoſatenſem* " Epiſtola, una cum decem propoſitionibus

† *Notis in Euſebij Hiſt. Eccl. l. 7. c. 30.*

" *Pauli*

" *Pauli Samosat.* & *Dionysij* ad eas respon-
" sione. Nam Patres quidem *Concilij Antioche-*
" *ni* affirmant *Dionysium* non dedisse literas
" ad *Paulum*, sed tantum ad Ecclesiam *An-*
" *tiochensem*; in illa autem Epistolâ quæ
" *Dionysij* nomine publicata est, *Dionysius* bis
" *Paulo* scripsisse dicitur. Sed nec stylus
" istius Epistolæ & responsionis, reliquis *Dio-*
" *nysij* scriptis respondet; itaq; opus illud
" adulterinum esse ob eas quas dixi rationes
" mihi persuadeo". Si cui id dubium adhuc fuerit, legat falsissima & insulsa *Pseudo-Dionysij* responsa ad quæstiones à *Paulo* propositas. Deniq; esse hoc scriptum quarti ad minimum sæculi fætum, ex voce θεοτόκος frequenter usitatâ conjicio; nec enim ante sæculum illud Epitheton hoc B. *Mariæ* adscriptum invenio.

Pergo ad *Gregorium Thaumaturgum*, de cujus disputatione adversus *Æliamum* * *Basilius* sic loquitur; *Invenies illic* πολλὰς φωνὰς τοῖς νῦν αἱρετικοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας, ὡς τὸ κτίσμα, καὶ ποίημα, καὶ εἴ τι τοιοῦτον, *multas voces quæ hujus temporis Hæreticis maximum robur adhibent, ut creatura, factura, & si quid aliud ejusmodi est.* Hujus autem *Gregorij* fidem plane orthodoxam fuisse ex ejusdem symbolo contendit *Præsul* Cl. Symbolo autem huic fidem facit ex *Greg. Nysseni* Epistola de vita *Thaumaturgi*, quam quidem *somnium somniorum* esse merito pronuntiat *Scultetus*. Digna est fabula, quæ ex *Gregorio* ementito plenius recitetur.

* *Ep.* 64. *p.* 101.

Producit enim hunc ipsum *Gregorium*, post quinquennium sub *Origene* transactum, post orationem panegyricam de ipso habitam, in qua, monente * *Præsule*, tot elogia de Filio Dei coacervantur quæ veram ipsius divinitatem egregie declarant; περὶ τοῦ λόγου τῆς πίστεως *de sermone fidei adhuc fluctuantem, variasq; de ea in animo cogitationes agitantem; immo quiritantem, quorundam probabilibus Argumentis sinceram fidem adulterantium,* ἀμφίβολον πολλάκις πεποιῆσθαι καὶ τοῖς σωφροσι τὴν ἀλήθειαν, *ambiguam frequenter factam esse, etiam sapientibus, veritatem*; eaq; de causa *Gregorium* inducit, non *ex regula fidei* veritatem indagantem, nec existimantem se ad hominum traditionem attendere debuisse, sed petentem θεόθεν γίνεσθαι αὐτῷ τὴν τῶν κρυφίων φανέρωσιν *divinitus sibi fieri occultarum Revelationem.* Quæ omnia fidem superant; à Patrum communi consensu aliena sunt; Regulæ fidei, traditioni Ecclesiæ, quam Concilia fere universa prætendunt; ipsisq; *Nicænis* Patribus, *Præsulisq;* Cl. integro libro palam adversantur. * P. 254.

Pergit fabula dicendo eum *Johannem Evangelistam* nocte vidisse, & audivisse submissa voce dicentem, se θείῳ προστάγματι πεφηνέναι αὐτῷ *divino jussu eidem apparuisse, eorum gratia quæ in utramq; partem disceptaret,* ὡς ἂν ἐκκαλυφθείη ἡ εὐσεβοῦς πίστεως ἡ ἀλήθεια, *ut* (ei) *piæ fidei veritas revelaretur.* Et postea, se *B. Virginem* audivisse hortantem *Evangelistam,* φανερῶσαι τῷ νέῳ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, *Juveni manifestum facere pietatis mysterium.*

mysterium. Quod cum feciſſet, *Gregorium* tradit extemplò τὴν θείαν ἐκείνην μυσταγωγίαν γράμμασιν ἐνσημήνασθαι *divinam illam inſtitutionem literis mandaſſe, & juxta illam poſtea in Eccleſia ſermonem prædicaſſe, & poſteris* ὥσπερ τινὰ κλῆρον τὴν θεόδοτον ἐκείνην διδασκαλίαν καταλιπεῖν *eandem doctrinam, ut donum quoddam divinitus datum, reliquiſſe, per quam uſq; in præſentem diem inſtituitur illius civitatis plebs* πάσης αἱρετικῆς κακίας διαμείνασι ἀπρόσκοπον *ab omni hæretica pravitate immunis permanens.* Et demum hoc ſymbolo recitato, *Si quis*, inquit, *hac de re ſibi fidem fieri cupiat, adeat Eccleſiam, apud quam ipſæ beatæ illius manus impreſſiones adhuc conſervantur.* Hæc autem inter μυθολογήματα numeranda eſſe ſi quis dubitat, ea adulterina & plane ſpuria eſſe, ex uno *Baſilio, Gregorij Nyſſeni* fratre & contemporaneo, certo certius ediſcat.

1°. etenim, *Gregorio* Eccleſiæ *Cæſarienſi*, à tempore *Thaumaturgi* ad hunc uſq; diem, immunitatem ab omni hæretica pravitate tribuenti, multimodis contradicit *Baſilius.* Is enim *Neocæſarienſi* Eccleſiæ ſcribit ad hunc modum. * *Nolite fratres aſſentiri ijs qui pravas animis veſtris ingerunt opiniones, neq; ob veſtram ſcientiam deſpicere vos patiamini* τὸν λαὸν τοῦ θεοῦ διὰ τῆς ἀσεβῶν διδαγμάτων διαστρεφόμενον *populum Dei ab impiis doctrinis ſubverſum*; Eoſdemq; docet *Gregorij* voces ſiniſtre expoſuiſſe, verba nimirum hæc τῇ ὑπονοίᾳ δύο, τῇ ὑποστάσει ἕν, in *Sabellianorum* ſententiam interpretando. An vero *Neocæſarienſes*

* *Epiſt.* 63. *p.* 95, 96.

enſes Sabelliana hæreſi corrupti, ab omni hæretica pravitate immunes eſſe potuerunt?

2°. Eidem dicenti *Gregorium Symbolum hoc extemplo literis mandaſſe, & tanquam divinitus datam doctrinam Neocæſarienſibus manu ſua ſcriptam reliquiſſe, eamq; ibi conſervatam omnibus conſpiciendam eſſe*, in os contradicit *Baſilius* his verbis: οὐδὲν τῆς ἐκείνου μέχρι νῦν διεσώσασθε, *nihil Gregorii ad hoc tempus ſervaſtis.*

Porro multis oſtendit *Baſilius* Symbolum hoc ementitum, nec à *Gregorio* tunc ſcriptum, nec in Eccleſia *Neocæſarienſi* conſervatum fuiſſe. Recte enim monet *Præſul* Cl. "Sym-
" bolum hoc hæreſi *Sabellij, quæ Patrem, Fi-*
" *lium, & Spiritum Sanctum, nomine ſolum,*
" *non autem ὑποστάσει differre ſtatuebat*; atq;
" hæreſi ex diametro contrariæ, eorum nempe
" qui Trinitatem dividebant in tres hypoſta-
" ſes ſeparatas, peregrinas, & à ſe invicem
" alienas; contrarium extitiſſe, &c. Et tamen notante *Baſilio*, in hujus *Gregorij* ſcriptis poſtea editis, *multas invenias voces, quæ Arianis hæreticis plurimum roboris addebant*, ὡς τὸ πολημα, καὶ κτίσμα, *& ſi quid his ſimile*; Immo *Neocæſarienſes Sabellij* labe infectos in eo inveniſſe quædam, quæ *Sabellij* ſententiam ſtabilire videbantur. An vero *Gregorius* adeo ſibi diſſimilis, & ſymbolo divinitus accepto contrarius eſſe potuit, ut eaſdem hæreſes quas ſymbolo ſuo evertiſſet, ſcriptis poſterioribus denuo ſtabiliret, ijſq; robur addiderit?

His adde, quod eoſdem *Neocæſarienſes* ab eadem hæreſi revocando, * ἀναδίδωσι τῷ Γρηγορίῳ

* *Epiſt.* 64. *p.* 103.

εἰς ijs in mentem revocat, qua *Sabellij* hæresin consopitam fuisse asserit; eosq; qui somnijs fidem adhibebant, contentos Evangelijs esse jubet; *symboli* vero illius διδαχτὸς, scriptisq; apud eosdem conservati, quo hæresis ista multis & perspicuis verbis eversa est, mentionem nullam facit; nec eorum somnijs visionem *Gregorij* opponit; nec disputationi ejus adversus *Ælianum* quam pro *Sabellij* sententia producebant, Symbolum ejus manu exaratum & in eorum *Archivis* adhuc conspiciendum ullatenus in causæ suæ subsidium inducit. Nec tamen *Basilium*, in hac ipsa civitate diu versantem, latere potuit id quod fratri suo notum fuit; nec adeo ingenio tardus censendus est, ut rem ad omnem suspicionem à *Gregorio* amovendam certissimam, intactam præterierit.

3°. Ea ipsa quæ *Præsul Cl.* ex *Basilio* adducit in causæ suæ subsidium, fortissima nobis Argumenta in contrariam sententiam suppeditant. Quæ enim ab *Avia* se accepisse gloriatur *Basilius*, non ea sunt quæ ex *Symbolo Gregorij* post somnolentam illam visionem scriptis mandata essent; sed quæ * ἀκολουθία μνήμης διασωθέντα αὐτὴ ἐφύλαξε à *Gregorij* verbis accepta, ipsa memoriæ beneficio conservaverat: Atq; hac fidei suæ, quæ, inquit, ἐνεργεστέρα ἀπόδειξις *manifestior demonstratio esse potuit*? Quis autem nescit Symbolum *Johannis* cælitus missi, ore acceptum, & extemplo scriptis mandatum, fidei *Basilianæ* evidentiorem multo probationem, quam *Aviæ* labilis memoria continere? An vero ex *Aviæ* memo-

* *Epist.* 75. p. 130, 131.

memoria tantum *Gregorij* fidem ediſceret is, qui ex ejuſdem Symbolo, ejuſq; manu conſcripto, de ea certius edoceri potuit? Porro Epiſtola 64, agnoſcit ſe civitatis iſtius conſuetudine delectatum fuiſſe, & poſtea plurimum in ea verſatum eſſe, in qua, ſi fides *Pſeudo-Nyſſeno* adhibenda eſt, hoc Symbolum adhuc extabat diligenter conſervatum; ex quo ibidem viſo lectoque, certiſſimum ſane Argumentum fidei ſuæ cum *Gregorij* placitis conſpirantis, *Neocæſarienſibus* exhibuiſſet. Certum igitur eſt, ex perpetuo illius de hoc Symbolo ſilentio, illud in civitate iſta, *Baſilij* tempore, neutiquam extitiſſe; unde non minus certum eſſe debet, *Pſeudo-Nyſſeni* de eo ibi conſervato mendacium.

Nec magis rem firmant ea, quæ ex *Baſilij* diſſertatione de * Spiritu Sancto adfert *Præſul* Cl. nempe quod tanta eſſet *Gregorij* fama apud iſtius Regionis incolas, ut ὃ πρᾶξιν τινὰ, ὃ λόγον, ὃ τύπον μυστικὸν, *nec praxin ullam, nec ſermonem, nec typum*, ſive ceremoniam quandam myſticam, ultra quam *Neocæſarienſi* reliquit Eccleſiæ, adjecerint. Hæc enim ἀπροσδιόριστα ſunt, & Symbolum hoc neutiquam reſpiciunt. Conſtat hoc vel ex capitis hujus lemmate, quod continet enumerationem celebrium in Eccleſia virorum, qui in ſcriptis vel in praxi uſi ſunt voce σὺν in doxologia de ſacra *Trinitate*, dicentes nimirum non σὺν, aut διὰ, ſed σὺν τῷ πνεύματι, quod τὸ ἄγραφον ἢ τὸ ἀνυπόστατον, i. e. ſcripturarum ſuffragio & veterum teſtimonio carere contendebant πνεύ-

* *Tom.* 2. *c.* 29.

ματο-

μαρτύμαχοι. *Baſilius* autem poſt *Dionyſ. Alex. Origenis*, *Africani*, & *Euſebij Cæſarienſis* diſertiſſima in hanc rem teſtimonia, ad eundem *glorificationis* modum, quem inſtituit *Gregorius*, accedit; & quem ab Eccleſia conſervatum eſſe dicit, ἐκ τῆς ἐκείνου παραδόσεως *ex ejuſdem traditione*. Quis jam non videt *Baſilium* non de Symbolo, ſed de doxologia *Gregorij* loqui; nec de eo quod ſcriptis commiſſum eſſet, ſed quod *traditione* ab eo acceptum, praxi continua obtinebat?

Quod *deniq*; *Præſul Cl.* certiſſimum eſſe dicit, nempe hanc fidei confeſſionem, ætate *Baſilij*, *in Eccleſia Neocæſarienſi conſervatam fuiſſe*, *idq*; *ut à Gregorio traditam*; id ego non tantum incertum, ſed & falſiſſimum eſſe judico; idq; ex hac ipſa *Baſilij* de *Thaumaturgo* diſſertatione, in qua mentio ejus nulla prorſus facta eſt, ulterius confirmo. Ut enim fidem ampliorem *Gregorij* traditioni adhibeat, miracula fere omnia, in quibus enarrandis *Nyſſenus* rhetorico ſtylo ſe effundit, ſummatim recenſet *Baſilius*. Quod vero ad ejus inſtitutum, cauſæq; quam agebat patrocinium magis faciebat, de Divo *Johanne* cælitus miſſo ut ei hoc Symbolum traderet, deq; eodem manibus *Gregorij* conſcripto, & in Eccleſiæ *Neocæſarienſis* Archivis conſervato, ne verbum habet; Quod ſane indicium eſt *Baſilium* de Symbolo iſto nihil cognoviſſe, vel certe *Nyſſeni* de illo narrationem pro fabula habuiſſe. Rem extra dubium ponunt ejuſdem de *Gregorio* hæc elogia? *Gregorium magnum*, *ejuſq*; *voces quo loco ponam*?

ponam? ἐκὶ μετ' Ἀποστόλων, καὶ προφητῶν, ἄνδρα τῷ αὐτῷ πνεύματι ἐκείνοις συμπαρόντα; *nonne cum Apoſtolis & Prophetis, virum qui eodem Spiritu quo illi verſatus eſt, quiq; ſanctorum veſtigiis per omnem vitam inhæſerat?* An vero temperare hic potuit *Baſilius*, ſi res pateretur, quo minus adjiceret; *qui Symbolum divinitus ex ore Johannis acceperit, ejuſq; veſtigiis per integram vitam inhæſerit?* Hæc & ejuſmodi alia nec ſine piaculo omittere voluit vir magnus, nec pro ſagacitate ingenij ſui potuit: Præſertim dum ſtrenuè ſemet opponit Hæreticis, qui * τὴν φύσιν διαλλαγὴν *diſtinctionem ſecundum naturam* inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum poſuerunt; immo Filium & Spiritum Sanctum à Patre τὴν † φύσιν ἀλλότριον *ſecundum naturam alienum* eſſe clamitabant; & qui *Baſilium*, & alios qui eos || naturâ non ſeparabant, nec *ſervile aliquid aut miniſteriale in ijs agnoſcebant*, novatores appellabant; qui deniq; ἀγραφὴν τῶν πατέρων μαρτυρίαν *non ſcriptum Patrum teſtimonium* flocci faciebant. An potuit is qui *Origenem* de Spiritu Sancto male ſentientem in hac cauſa teſtem inducit, *Gregorij* Symbolum in quo diſertim aſſeritur *Trinitas perfecta*, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένῃ, *gloria, æternitate, & regno non diviſa*, & in quo ὅτι δοῦλόν τι *ſervile nihil*, intactum præterire? Quid enim his verbis apertius; quid fortius in cauſæ ſuæ patrocinium dici potuit? Quod ergo ad hoc Symbolum nuſquam provocat, ex eo illud ipſum pro ſpurio habuiſſe nullus dubito. Sed quid verbis opus eſt? Con-

* *Tom.* 2. *p.* 244.

† *Tom.* 4. *p.* 296.

|| *P.* 361.

ſtat etenim in magna illa de Symbolis contentione ab *Arianorum* temporibus ad *Juſtiniani* ætatem habitâ, nullam omnino de Symbolo hoc *Gregoriano* προδιδάκτῳ, eoq; nomine ipſi *Nicæno* præponendo, factam eſſe mentionem, nullam ad illud provocationem. Adverſus fidei *Nicænæ* Symbolum Synodi multæ congregatæ ſunt, illudq; potiſſimum rejiciunt propter τὸ ὁμοούσιον, unamq; Patris & Filij ſubſtantiam in eo ſtabilitam; eidemq; opponunt multa nova Symbola, quæ quidem fere omnia fidem Catholicam à Patribus ab initio traditam continere prætendunt. Mirum vero eſt Patres Orthodoxos *Baſilium*, *Gr. Nazianzenum* & *Nyſſenum*, Symbolum hoc προδίδακτον, Dei juſſu, *Johannis Theologi* miniſterio, *B. Virginis* ſuaſu compoſitum, ijs nec ſemel oppoſuiſſe. Si demum certiſſimum eſſet *Baſilij* ætate Symbolum hoc in Eccleſia *Neocæſarienſi* conſervatum eſſe, idq; ut à *Gregorio* traditum, prout fidenter aſſerit *Præſul*; Hæreſinq; *Arianam*, eodem monente, prorſus jugulaſſe; mirum eſt illud ipſum non omnem Orthodoxorum impleviſſe paginam, & in *Arianorum* proterviam debellandam ſæpius inculcatum fuiſſe. Peponem etenim loco cordis habuiſſe videantur, qui, occaſione toties oblata, προδοθὲν hoc ſanæ fidei & veritatis myſterium ſilentio premerent, illudq; intactum præterirent.

Acris poſtea controverſia agitata eſt de Spiritus Sancti Deitate, & æquali cum Patre & Filio honore; multis animoſius contendentibus Spiritum hunc nec in Scripturis, nec à

Patribus

Patribus trium primorum ſæculorum, Deum unquam vocari; nec tamen hoc Symbolum, in quo *integræ & perfectæ Trinitati indiviſa gloria tribuitur, & Deum Patrem & Deum Filium in Spiritu Sancto manifeſtari* dicitur, huic ſententiæ vel ſemel oppoſitum invenio. Immo, quod mirum dictu eſt, habemus *Baſilium M.* non tantum confitentem Patres hanc controverſiam * *ſilentio* præteriiſſe, ſed diſertim de eodem Spiritu pronuntiantem, quod neq; alienus eſt à Dei gloria, ὅτι οὐ τὸς θεὸς, ἀλλὰ θεῦ πνεῦμα, *nec ipſe Deus eſt, ſed Dei Spiritus.* Tom. 1. 17. p. 440. * *Epiſt.* 387. p. 381.

Duo adhuc ſunt, Vir integerrime, obſervanda, quibus Epiſtolari huic colloquio finem imponam.

Primò, Non poſſe illud homini cuiquam revelari, aut pro Articulo fidei debitò proponi, quod mens humana intelligere non poteſt. Eſt enim fides actus Intellectus, quo aſſenſum exhibet Articulo propoſito: aſſenſum vero rei quam non intelligit, mens ſana non poteſt adhibere. Res ergo nondum intellecta, eſt eam non intelligenti nondum revelata; & id quod mens humana intelligere non valet, eidem non poteſt revelari. Ita tamen in hoc *Præſulis* opere eruditiſſimo contigiſſe, non mihi tantum, ſed alijs non paucis viſum eſt, ut ſectio quarta quæ agit de *Filij & Spiritus Sancti ſubordinatione ad Patrem*, & in qua de *S. Trinitatis* doctrina explicanda, &, in quibus rectæ rationi adverſari videatur, vindicanda operam ſuam ponit *Præſul*; myſtica plane I.

ſit, ſpiſſis, immo cimmeriis tenebris involuta, mentibus omnium mortalium crucem figat, eaq; pro fidei *Nicænæ* adeoq; *Chriſtianæ* fundamentis proponat, quarum idea nulla menti perſpicaciſſimæ obverſari poteſt. Qualia ſunt,

* P. 43. * " 1°, Veteres Ἀρχὴν Filij Patrem di-
" cunt, nempe quatenus vox iſta ſignificat
" principium à quo aliquid oritur, quocunq;
" id modo fiat, hoc eſt ſive in tempore, ſive
" ab æterno; non vero quatenus principium
" denotat initium exiſtendi, quando res quæ
† P. 45. " antea non erat, eſſe jam incipit; † non
" enim poteſt perſona ex & in ipſa divina
" eſſentia incipere, quâ prius non fuit, ſalva
" naturæ divinæ immutabilitate.

Quis autem adeo *Oedipus* eſt, ut hæc intelligat? Nempe quid ſit principium ortûs alicujus rei vel perſonæ, quod non eſt eidem principium exiſtendi? Quid eſt principium rei, quæ ab æterno fuit? Aut quomodo poteſt perſona aliqua *ex & in ipſa divina eſſentia exiſtere per modum generationis, quæ ſemper generata eſt?* *Ortûſve initium habere* ſine exordio? Cum juxta

‖ P. 5. ‖ *Athenagoram*, τὸ ὂν ἀ γίνεται, ἀλλὰ τὸ μὴ ὂν; nec Filij aut generationis idea magis innuit ſubordinationem, quam Patris & generantis præexiſtentiam. Monente

* P. 31. enim * *Novatiano*, *antecedat neceſſe eſt illum qui habet originem, ille qui originem neſcit.* Patremq; Filio præexiſtere, inquit *Euſebius*, & ante eum hypoſtaſin habere, unuſquiſq; confitebitur.

2°. Non

2°. * " Non poteſt, inquit *Præſul*, gene- * P. 439.
" ratio animo concipi ſine alicujus rei com-
" municatione, rei porro non alterius, quam
" naturæ, eſſentiæ, ſubſtantiæ, cum ſit θεώ-
" δης, hoc eſt *ſubſtantialis productio.* Eſt autem juxta Patres *Antenicænos* omnes, ſubſtantia Patris ἀγέννητος ingenita, & ἄναρχος principium ortus nullo modo habens, adeoq; nullo modo producibilis. Eſt ergo hujus eſſentiæ *ſubſtantialis productio*, rei improducibilis productio, rei ortum non habentis ortus.

Pergit *Præſul* ad hunc modum: † " Addo † Ibid.
" his, perſonam hic ſine eſſentia concipi non
" poſſe, niſi ſtatueris perſonam in divinis ni-
" hil aliud eſſe quam merum τρόπον ὑπάρξεως,
" *quod plane Sabellianum eſt.*

An vero concipi magis poteſt communicatio eſſentiæ Patris, perſonæ quæ concipi non poteſt, niſi eam habeat? Communicatio certe non eſt habenti naturam communicatam, ſed non habenti. Porro explicet qui poteſt, quid aliud indicat eadem numero Patris eſſentia Filio communicata, quam eadem eſſentia alio modo exiſtens in Filio quam in Patre, nempe exiſtens in Patre à ſe, in Filio non à ſe, ſed à Patre. Si enim generatione communicata ſit Filio Patris eſſentia, utiq; eam habet à Patre. Quid ergo eſſe poteſt hæc Filij generatio, niſi eſſentia Patris quam à ſe habet, alio modo communicata Filio eam non habenti?

3°. † " Veteres nonnulli dixerunt etiam Pa- † P. 446.
" trem per Filium, ut inſtrumentum, hunc

 " mundum

" mundum produxiſſe; intelligentes nimirum " *inſtrumentum non extraneum, ſed connatu-* " *rale.* Ita *Præſul.*

Quis vero antea audivit de inſtrumento in ipſa ſubſtantia operantis ſito, & ejuſdem numero eſſentiæ cum cauſa principali? Eſt utiq; juxta *Metaphyſicos*, cauſa inſtrumentalis, *ea quæ ab alio agente elevatur ad effectum producendum, quem non poteſt producere propria ſua virtute.* Non eſt autem Filius alius à Patre Agens; quorum enim eadem eſt numero eſſentia, eorum eadem pariter eſt actio. Et, notante *Præſule*, * " merito ipſe opifex & " creator omnium dicitur Filius, perinde ac " Pater, quatenus cum à Patre naturam & " omnipotentiam Divinam acceperit, non " aliena tamen, ſed ſua, hoc eſt ſibi *inſita & naturali virtute*, & omnipotentia, univerſa condidit.

* *Ibid.*

† *P.* 487. 4°. † " Quamvis duobus, Patri & Filio, " Dei nomen & natura communis ſit, tamen " quoniam alter alterius principium eſt à quo " propagatur, idq; *interiori productione, non* " *externa*; fit ut Deus eſſe unicus merito di- " catur: quam rationem pariter ad Spiritus " Sancti divinitatem pertinere priſci illi cre- " diderunt. Unde fit ut non modo ex Patre, " ſed in Patre ſint, & Pater in ipſis.

Eſt autem intellectu difficile unam numero eſſentiam, unamve individuam ſubſtantiam, unam numero eſſe, & tamen tribus communem; individuam eſſe, & tamen *non diviſam à quolibet alio*; eamq; in Patre nulli ſubordinatam

natam eſſe, in Filio vero & Spiritu Sancto ſubordinatam ; nec tamen unam eandemq; eſſentiam ſibi ſubordinatam eſſe, & non ſubordinatam. Cum ergo, docente eodem *Præſule*, *voces Filij & generationis manifeſto innuunt ſubordinationem Filij, quoad eſſentiam, ad Patrem generantem*, eandemq; eſſentiam omnes agnoſcunt in Patre non eſſe ſubordinatam ; neceſſe eſt, ſecundum hanc ſententiam, eandem numero eſſentiam ſibi ſubordinatam eſſe, & non ſubordinatam. Quod eſt ſibi diſſonantia & contradictoria loqui.

Præterea, Filium à Patre *interiori productione* propagari, ſive paternam eſſentiam eidem communicari intra Patris eſſentiam, eſt haud minus ἀνόητον. Saltem quid velit *Præſul Cl.* ſub hoc verborum involucro contineri, ego quidem non capio. Cum enim eſſentia hæc Patris, Perſonis Filij & Spiritus Sancti communicata ſit ; id ſi interiori productione factum fuerit, perſonas Filij & Spiritus Sancti in Patris ſubſtantia tunc fuiſſe, eumq; adeo perſonis trinum agnoſcere neceſſe eſt. Porro interior iſta productio vel ponit aliquid in Patre quod non fuit in eo ſine iſta productione, vel nihil. Si nihil, eſt nihili productio ; ſi aliquid, novum aliquid in Patre erit per iſtam productionem ; neq; enim animo concipi poteſt productio, ubi nihil novum productum eſt.

5°. * " Ita unum ſunt Pater & Filius, ut * P. 497.
" in Patre ſit Filius, & in Filio Pater, neq;
" alter ab altero ſeparari poteſt. Quem unio-
" nis modum, Græci περιχώρησιν *circumince ſſio-*

 " *nem*

" *nem* appellant. Eſt autem illa unio, qua " unum exiſtit in alio non tantum per naturæ " paticipationem, ſed etiam per plenam & " intimam præſentiam. Et rurſus: * περι- * P. 505. " χώρησις eſt unio rerum ſe invicem uſque- " quaq; immeantium; & in *Trinitate* maxime " propria eſt, & perfectiſſima περιχώρησις: ſi- " quidem perſonæ ſeſe mutuo continent.

Heraclitum hic me legiſſe ſuſpicarer, potius quam *Præſulem Cl.* qui, quoties res patitur, mentem ſuam clare aperit; hic vero merito dicatur σκοτεινὸς. Unam etenim eandemq; numero eſſentiam, ſeipſam immeare, circumincedere, ſeipſam continere, & à ſeipſa contentam eſſe, ſi non ἄτοπον, ſaltem δυσερμήνευτον merito dicatur. Dices hæc intelligenda eſſe de eſſentia non abſolute, ſed quatenus cum perſonis conjuncta eſt. Audio verba quæ menti meæ nullam ideam imprimunt, & quæ in novos labyrinthos me conjiciunt. Quid enim perſona in divinis ſignat, niſi id quod modum exiſtentiæ dicere ſolemus, ego non intelligo: hoc autem *Sabellianum* eſſe me docuit *Præſul Cl.* Nil ergo verius à Præſule eſt † P. 506. dictum, quam † hanc *divinarum perſonarum* περιχώρησιν *revera maximum eſſe myſterium, quod religioſe adorare potius quam curioſius rimari debemus.*

II. Obſervandum *ſecundo*, S. Scripturam unicam eſſe regulam, ex qua de veritate Articuli fidei cujuſcunq; judicium fieri debet; eſt enim fides divina aſſenſus Teſtimonio Dei. Ille autem in ſcripturis tantum loquitur; ejuſq; ſolius

lius teſtimonio certa fides adhibenda eſt, cui ob infinitam ejus ſapientiam nihil poteſt latere, & qui ob ſummam ejus veracitatem nihil quod falſum eſt enuntiare poteſt. Ad hæc hanc regulam perfectam & perſpicuam eſſe debere, præſertim in omnibus quæ ad ſalutem ſunt creditu factuq; neceſſaria, ex eo conſtat, quod, ubi deficit, nullum de ijs Dei teſtimonium adhiberi poteſt; ubi obſcura fuerit, nullum de ijs certum judicium ferri queat. Magni igitur momenti eſſe videntur hæc * *Crellij* verba. " Eſtne credibile *Chriſtum* & *Apoſtolos* " rem, quemadmodum vulgo creditur & " dogmatis iſtius ratio poſtulat, ſcitu tam ne- " ceſſariam, & creditu tam difficilem, & om- " nem humani ingenij captum longiſſime ſu- " perantem, tacituros fuiſſe? Nonne res ipſa " docet eos, quanto eſſet dogma illud & ſci- " tu magis neceſſarium, & creditu difficilius, " tanto id clariùs fuiſſe propoſituros? Cogit " id credere eorum in cæteris rebus, haud " paulo minoribus, & perceptu facilioribus, " diligentia; cogit eorum erga ſalutem generis " humani ſtudium; cogit deniq; id quod " ſuſceperunt & ſuſtinuerunt officium. Num " enim *Chriſto* Servatori noſtro, num *Apoſtolis*, " aliiſq; divinis viris minus putabimus curæ " fuiſſe ſalutem hominis, quam ijs qui aut " olim tanto conatu dogma illud tanquam " proram & puppim ſalutis noſtræ defende- " runt, aut hodie tuentur? Num illis aut " intelligentia iſtius quod vulgo adorant " myſterij minor fuit, aut verba quibus id " deſcri-

* *De uno Deo Patre lib.* 1. *c.* 16.

" describerent, defuerunt? Clarius id descri-
" bere potuit *Athanasius* in symbolo suo,
" quam *Christus*, quam *Apostoli*"? Difficulter autem inveniet quispiam in S. Scripturis perspicue tradita hæc *Præsulis Cl.* dictamina. 1°. *Patrem esse principium Filij & Spiritus Sancti, interiori productione, non externa.* 2°. *Posse personam aliquam ex & in ipsa divina essentia incipere existere, qua prius non fuerit, salva naturæ divinæ immutabilitate.* 3°. *Esse trium personarum immeationem talem, &* Περιχώρησιν, *qua mutuo se invicem immeant, & mutuo sese contineant.* Hæc qui ex *S. Scripturis* perspicue probanda suscipiet, rem mihi gratissimam faciet. Præstat itaq;, meo saltem judicio, ijs quæ in *S. Scriptura* de hoc mysterio perspicue sunt dicta, contentos esse, quam in tortuosos hosce mæandros & inextricabiles labyrinthos incidere; præsertim cum Patres omnes, post † *Irenæum*, libere agnoscant *Generationem Filij* ἀνεξερεύνητον καὶ ἀνεξιχνίαστον *inenarrabilem esse, quam nemo novit, neq; Angeli, neq; Archangeli, nec principatus, neq; potestates, nisi solus qui genuit Pater, & qui natus est Filius.*

† *L.* 2. *c.* 48.

LECTORI

LECTORI CANDIDO.

QUÆ *in hoc opere disputata sunt, Amice Lector, non eo sunt consilio scripta, ut de vera Sacro-sanctæ* Trinitatis *sententia judicium feram, aut litem illam alterutra ex parte definiendam in me suscipiam; sed eo tantum fine, ut sententiæ nostræ palmariæ, scilicet* Scripturam esse *unicam* fidei Regulam, *robur aliquod accedat. Hac etenim concessa, sequitur, nihil decretorium de controversiis hisce ex* Patrum primævorum *scriptis depromi posse. Immo ex ijs quæ in hoc opere disserui, compertum duco, ex Scriptis hisce secum haud raro pugnantibus, & à sententia, quam orthodoxam appellari consuevimus, sæpe nimium deviantibus, de vera & Catholica Ecclesiæ veteris & Ante-Nicænæ sententia nihil posse definiri.* I.

Nec est quod existimet Lector *in controversiis hisce minus exercitatus, me novum aliquod & hactenus inauditum dicere: Id assero, quod ante me non solum celeberrimi è Patribus,* Eusebius Cæsarienfis, Magnus Basilius, Ruffinus, Hieronymus, Photius, *in hoc opere laudati, sed & ætatis nostræ viri doctissimi, summo judicio pollentes, & in Patribus evolvendis nocte dieq; laborantes, plane & diserte docuerunt. Ut enim mittam* Ambianatis & Combefisij *testimonia aliquoties hic memorata, quis nescit* magnum Petavium *de omnibus fere Patribus, quos hic in medium produxi, idem mecum judicium protulisse?* II.

Notatu

Notatu etiam digniſſima ſunt hæc Huetij *verba*: " *Inter Chriſtianos Doctores qui ante* Nicænam " *floruerunt* Synodum, *multi de Trinitatis myſterio* " *parum caute loquuti ſunt: inſincera certe fuit* " Tatiani, & Tatiano *vetuſtioris* Juſtini, *de Trini-* " *tate doctrina; in eandem venit criminationem* " Pſeudo-Clemens, & Theophilus Antiochenus; " *indigna vero & intoleranda profuderunt* Tertul- " lianus, & Lactantius, Clemens *quoq;*, Dionyſius, " & Pierius Alexandrinus, *alijq; complures.* Origenian. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 10. *Nec minus ingenua eſt* Cayij *noſtratis, de* Lactantio *loquentis, confeſſio his verbis concepta*; " *Nævos qui in ejus ſcriptis notantur,* " de Divinitate, de æterna Filij exiſtentia---*aliiſq;* " *capitibus, de quibus obſcure, incaute, quandoq;* " *etiam periculoſe locutus eſt, excuſabunt apud* " *candidos rerum æſtimatores, ſæculi quo vixit, cir-* " *ca res iſtas imperitia, dogmata ipſa paulo abſtruſio-* " *ra nec dum à Theologis dilucide explicata, nec Sy-* " *nodorum decretis definita; & in quibus μολύνουσι* " *habuit complures præcedentium ſæculorum* Patres.

III. *Inter nævos autem, ſive errores quorundam Patrum* Ante-Nicænorum, *nullus* Nicænæ *fidei magis adverſus, capitalior nulla ſententia, quàm qua nonnulli Chriſtum inter τὰ κτίσματα, ποιήματα,* res *L. 3. n. 8. factas, collocabant. Quod cum à* * Pſeudo-Clemente *factum ſit his verbis,* Qui ergo eſſe non inchoavit prædictus Deus, genuit primogenitum omnis creaturæ: genuit ergo Deus " *quod & facturam vocare* " *didicimus, qui, ut ex eo quod erat, ut eſſet accepit,* " *idcirco vere* & genitura, & factura, & creatura " competenter appellatur": *Ad hæc adnotavit* † Cotelerius; " *Sic* Ariani γέννημα, ποίημα, κτίσμα *con-* " *fundebant, eaq; nomina tribuebant Filio, quem &* " ſubſtantiam genitam *ſolebant appellare; atq; ob-* " *ſervatum fuit à viris doctis, non abſtinuiſſe, ante* " Arium, *quoſdam Antiquos Patres tribus poſtremis* " *locutionibus, & conſimilibus aliis.*

† *Notis in Recog. p.* 364.

De

De Christi æterna generatione parcius disserui; IV.
ne tamen dixeris rem istam neglectim à me habitam, invenies sub finem cujuslibet fere sectionis, controversiam istam ex Patrum sententia satis ventilatam, & argumentis Cl. Præsulis *pro ista generatione, quod satis sit, responsum. Priusquam vero rem aggrediar, pauca quædam observanda sunt, quæ offusas huic controversiæ tenebras haud parum discutient.*

1°. *Imbelli uti* Præsulem *hic Argumento, quoties æternam Filij generationem adstruit; Christum nimirum, ex Patrum sententia,* ante tempus, *adeoq; ab æterno esse genitum. Id enim sponte fatentur Ariani, Christum* πρὸ χρόνων, καὶ πρὸ αἰώνων, ante tempora, & sæcula *genitum fuisse; & tamen eundem ab æterno esse genitum negabant. Apud* * Eusebium, Æones *sive* Angeli ἄχρονοι *sunt dicti, utpote ante hoc cælum, & hunc mundum conditi; nec tamen eundem creaturas eos æternas existimasse cogitandum est. Immo inter Patres à fide* Nicæna *plane alienos, nemo videtur fortius pro Christi æterna generatione loqui, quam hic ipse* Eusebius; *& tamen in ijsdem locis nemo disertius rem negat. Agnoscit siquidem Filium cum Patre extitisse* † πρὸ χρόνων ἀιωνίων ante tempora sæcularia, μᾶλλον δὲ πρὸ πάντων αἰώνων aut potius ante omnia sæcula, non tempore aliquo non existentem, ὕστερον δέ ποτε γεγονότα & postea aliquando genitum, sed ante tempora sæcularia præexistentem, καὶ τῷ πατρὶ, ὡς ὑὸν, διὰ παντὸς συόντα, & cum Patre, ut Filium, semper coexistentem: *& tamen in eodem capite lucem inter & splendorem, Patremq; & Filium, hoc discrimen ponit; quod* ‖ ἡ μὲν αὐγὴ συνυπάρχει τῷ φωτὶ, *splendor luci coexistit,* ὁ δὲ πατὴρ προϋπάρχει τοῦ ὑοῦ, καὶ πρὸ τῆς γενέσεως αὐτοῦ προϋφέστηκε, Pater autem Filio præexistebat, & ante generationem ejus subsistebat. *Et rursus; Filium unigenitum esse dicit, & primo editum* μετὰ τὸν ἀναρχον καὶ ἀγέννητον οὐσίαν post ingenitam & principio carentem substantiam. *Idem libro quinto dicit* * τὸν ὑὸν ἐξ ἀπείρων αἰώνων, μᾶλλον δὲ πρὸ πάντων αἰώνων

* *De laudibus Const. p.* 606.

† *Demonst. Evang. l.* 4. *p.* 144, 147, 148, 149.

‖ *L.* 4. *c.* 3. *p.* 147.

* *C.* 1. *p.* 215.

ἀϊδίων καθεῖναι ἡρῶμεθον τὸν, καὶ σωθῆναι συγγενόμενον ἀεὶ τῷ πατρὶ, ipſum Filium ex ſæculis interminatis, potiuſve ante omnia ſæcula ſubſtitiſſe genitum, & congenitum coexiſtere ſemper cum Patre. *Et tamen in eadem pagina,* ἐκ ἀνάρχως συνυφέστηκε τῷ πατρὶ, non, *inquit*, ſine principio cum Patre coexiſtebat, cum ille ingenitus, hic vero genitus ſit; & ille Pater ſit, hic vero Filius: προϋπάρχειν δὲ καὶ προϋφεστάναι πατέρα υἱῷ πᾶς ὑγιῶν ὁμολογήσειεν, Patrem autem Filio præexiſtere, & ante eum hypoſtaſin habere, unuſquiſq; confitebitur. *Deniq; extat apud* * Theodoretum *Epiſtola* Arij *ad* Euſebium Nicomedienſem, *in qua fidenter aſſerit* Orientales Epiſcopos univerſos *iſtius ſæculi*, docuiſſe Patrem ingenitum προϋπάρχειν τὸν υἱὸν Filio præextitiſſe; *eandemq; fuiſſe* Occidentalium *multorum ſententiam, ex* Tertulliano, Novatiano, Arnobio, & Lactantio *probavimus.*

* *Hiſt. Eccl. l. 1. c. 4.*

2°. *Nec magis firmum eſt Argumentum ex verbis quæ Filium Patri* ἀεὶ, πάντοτε, ſemper coextitiſſe *aſſerunt. Hæc enim adverbia tunc tantum æternitatem veram ſignificant, ſive abſolutam, cum id ſubjecti ratio poſtulat. Clarum hoc ex verbis* Euſebij *jam allatis; nempe* τὸ πάντοτε & ἀεὶ *ex* † Novatiani *his verbis,* cum Patre poſtmodum ſemper fuit, *interpretanda eſſe. Agnoſcit ille ſemper in Patre Filium ab eo dici, quia cum Patre fuit ante omne tempus. Sic enim ejus verba ſe habent:* " *Hic enim* " *cum ſit genitus à Patre, ſemper eſt in Patre;* " *ſemper autem ſic dico, ut non innatum, ſed na-* " *tum probem. Sed qui ante omne tempus eſt,* " *ſemper in Patre fuiſſe dicendus eſt; nec enim* " *tempus illi aſſignari poteſt, qui ante tempus eſt.*

† *De Trin. c. 31.*

V. *Deniq; ex Filij Dei* τῷ ὁμοουσίῳ, *eundem Patri* συναΐδιον *eſſe contendit hoc Argumento* Præſul Cl. " *Qui vere & proprie Deus eſt, & ex ſubſtantia* " *Dei genitus, idem habeat neceſſe eſt quæ ſunt* " *propria Dei, infinitatem, immenſitatem, æternitatem.* *Fallacem vero hanc eſſe Argumentationem ex pari*

conſta-

constabit: *Qui est vere, & proprie Deus, eo quod eandem essentiam cum Patre habeat, idem habeat omnia necesse est, quæ essentiæ Patris sunt propria,* τὸ ἀναίτιον, τὸ αὐτόθεον, *independentiam,* ἀϊδιότητα, *& deniq; ut sit fons Deitatis Filij & Spiritus Sancti.*

Hinc vero sequitur, Patres omnes qui Filij τὸ ὁμοούσιον *tollebant, & qui Filium esse* τὸν ὑπὲρ πάντα θεὸν Deum super omnia *negabant, quæ omnium fere Ante-Nicænorum sententia fuit, æternitatem Filij Dei proprie sic dictam pariter sustulisse. Teste enim* * Huetio, " Tertullianus, *&* alij *plerisq; ex Antiquissimis Doctoribus, &* Nicæna *Synodo anterioribus, in ijs quæ* " *ad Christi generationem pertinent,* Origenis *impietatem dicam, an imperitiam, vel æquarunt, vel superarunt.* Justinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, *ipse* Tertullianus, *&* Lactantius. *Deum dixerunt, cum mundi creationem meditaretur, Verbum suum protulisse, quo Administro, in rerum molitione, uteretur.* Cavius *etiam agnoscit* Lactantium *æternam Christi generationem plane tollentem,* ὁμοιήσιος habuisse complures præcedentium sæculorum Patres. *Deniq;* Ambianas *ultro fatetur, Patres multos ante* Nicænam Synodum *degentes, de æterna Filij Dei generatione dubitasse,* Arioq; ijsdem fere verbis, diverso tamen sensu, præfatos esse. *Notis in lib. Tertul. adv. Hermog. c.* 18.

* *Origen. l.* 2. *c.* 2. *n.* 25.

Deniq; duo adhuc supersunt, ad amphibologiam omnem evitandam, præmittenda.

VI. 1°. *Mihi non plane certum esse, quo sensu* Præsul Cl. τὸ ὁμοούσιον *propugnaverit. Quod enim exempla omnia quæ congessit sectione secunda, cap.* 1. *n.* 2. *unitatem essentiæ tantum* specificam *exhibeant,* * *infra probavimus. Sectione* 4. *cap.* 2. *contendit,* Filium Patri parem, *&* κατὰ φύσιν æqualem esse; *æqualem nempe,* quod ipsi in nullo sit dissimilis, habeatq; imagini & exemplari Patris exacte respondentem in omnibus similitudinem. *Hæc autem omnia unitatem tantum* specificam *exigere videntur. Eadem enim*

* *Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 2.

enim numero essentia, natura, & substantia, nec sibi similis nec æqualis est, sed tantum secum eadem; nullum quippe simile est idem. Atque hinc τὸ Sabellij malum ex voce ὁμοουσίου corrigi docet * Basilius: ὁ γὰρ αὐτὸ τί ὂν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ, non enim idem aliquid est sibi ipsi consubstantiale, sed alterum alteri. *Qui ergo essentiam Filij, cum Patribus, vel similem, vel æqualem esse statuunt, aliam numero essentiam Filij esse ab essentia Patris eo ipso constituunt. Hinc is qui Filium Patri similem esse dicit, ἀναιρεῖ τὸ τῷ θεῷ, Deitatem ejus tollit, inquit* † Athanasius; *qui Filium dicit essentia Patri similem, ἑτέραν οὐσίαν λέγει, θεῷ γε ὁμοιομερῆ, aliam substantiam inducit, Deo licet similem. Alias tamen* de Trinitate unius Divinitatis, de una essentia, unaq; substantia, *immo* περὶ ταυτότητος τῆς οὐσίας de identitate essentiæ Patris & Filij *ita disputat, ut unitatem essentiæ utriusq; numericam adscribere se velle non est dubitandum.*

* *Lib. 3. Ep. 300.*

† *Contra Hypocrisin Meletij, p. 573.*

Illud ergo observatum sit, me contra ὁμοούσιον, quatenus tantum significat substantiam unam specifice, ex Patribus Antenicænis non disputare, sed prout ab Orthodoxis omnibus asseritur eandem numero *essentiam tribus personis communem indicare & stabilire. Priorem τὸ ὁμοουσίου sensum si* Præsul *tantum propugnaverit, nihil prorsus egit quod orthodoxam, quæ jam ubiq; obtinet, sententiam confirmare valeat. Immo constat eum hoc ipso ostendisse Fidem nostram à* Nicæna *haud parum deviasse.*

2°. *Quod ad discrimen inter* οὐσίαν *&* ὑπόστασιν *attinet, dico cum Cl.* Huetio, Petavio, *&* Curcellæo, *vocabula hæc non tantum à Patribus Antenicænis, sed etiam à* Concilio Nicæno, Sardicensi, multisq; Post-nicænis *promiscue usurpata esse, quod multis probat* ‖ Petavius. *Sequiorem vocis* ὑποστάσεως *sensum, quo non significat personam in concreto seu cum essentia conjunctam sed personalitatem in abstracto, seu* modum subsistendi; *missum facio, utpote Patribus, de quibus agimus, ignotum.*

‖ *De Trin. l. 4. c. 1.*

PRO-

PROOEMIUM.

FATEOR, Amice Lector, rem esse arduam, & invidiæ plenam, *Præsulis Cl.* & *Grabii* in Patrum scriptis evolvendis præ alijs versatissimi, judicijs adversari. Dicent forte qui Patrum scripta suspiciunt, admirantur, & pro *tutissimis Sacrarum Scripturarum interpretibus* ducunt, quiq; traditionibus plerumq; dubiis, interdum ementitis, plus æquo indulgent; cornicum me oculos configere, antiquitatis suffragia magno Theologorum consensu approbata, temere damnare, oculatissimisq; viris visum adimere, quasi in maxima fidei controversia plane cœcutierint. Ego vero Deum testem appello, me neq; gloriolæ captandæ gratia, nec altercandi libidine, nec animi protervia motum, sed sola vi veritatis ductum, hoc qualecunq; opus aggredi; æquisq; harum rerum judicibus, rationum ponderi magis quam magnis nominibus cedentibus, rem integram æstimandam definiendamq; lubens permitto.

Ut à statu quæstionis exordium sumam, quæritur, I.

1. Utrum Patres omnes *Ante-Nicæni* eandem quam *Concilio Nicæno* tribuimus ſententiam amplexi ſunt; hoc eſt, utrum omnes eandem numero Patris *eſſentiam*, Filio & Spiritui Sancto fuiſſe communicatam, eoq; nomine utrumq; cum Patre unum numero Deum eſſe agnoverunt? nec enim fieri poteſt ut unum numero Deum conſtituant, qui unam numero eſſentiam non habent, aut quod eodem redit.

2. Utrum profitebantur eandem numero *potentiam*, *ſcientiam*, & *voluntatem*, in Patre, Filio, & Spiritu Sancto exiſtere; quod eadem numero eſſentia exigit?

3. Æterna Filii et Spiritus Sancti exiſtentia, communicationem hujus eſſentiæ ijſdem *ab æterno* poſtulat: Filij & Spiritus Sancti in Patre ab æterno exiſtentia, productionem pariter interiorem eorundem ab æterno exigit. Atq; hæc omnia cum *Synodi Nicænæ* & Patrum *Ante-Nicænorum* placitis conſpirare, contendit *Præſul Clariſſimus*.

Hujus ergo diſſertationis argumentum erit, utrum Patres *Ante-Nicæni*, *Barnabas*, *Hermas*, *Clemens Romanus* &c. claris & perſpicuis verbis, certave conſequentia, unicam numero Patris *eſſentiam* Filio, & Spiritui Sancto communicatam eſſe docuerunt? Pauca vero in anteceſſum præmittenda ſunt.

II. Primo igitur obſervandum eſt, *Præſulem Cl.* teſtimoniis primi, ſecundi, & tertii ſæculi, quæ Patrem *ſolum* unum verum Deum eſſe, Filiumq; Patre minorem aſſerunt, continuo reſpondere, hoc ideo tantum ab ijs factum eſſe, quod Patrem *totius Deitatis fontem* & principium eſſe agnoſcerent: Quod quidem Patrum *Poſt-Nicænorum* ſolenne fuit reſponſum, quorum hypotheſis id exigebat; in Patribus autem primi & ſecundi ſæculi, hujus χρησφυγῆς nec vola extat, nec veſtigium. In Patribus tertij ſæculi, nihil quod ejuſdem eſſentiæ à Patre, Filio & Spiritui Sancto integram communicationem,

nem, eo, qui jam obtinet, ſenſu, confirmat; multa vero quæ contrarium ſuadent, haud raro ſe ingerunt; qualia ſunt

1. Quod Patrem *ſolum* unum, verumq; Deum, κατ' ἐξοχήν prædicant, nulla diſtinctione adhibita, nulla hujuſmodi ratione aſſignata. Quod magno ſane eſt indicio, rationem appellationis hujus diſcretivæ, à Patribus *Poſt-Nicænis* excogitatam, illis prioribus ignotam, aut ſaltem neglectam, aut minus neceſſariam fuiſſe.

2. Quod quidam eorum, Filium alium numero à Patre Deum, cum *Juſtino M.* conſtituunt.

3. Quod Patrem & Filium δύο μὲν φύσεις, δύο οὐσίας, natura & eſſentia duos eſſe prædicant.

4. Quod Filium, ſecundum divinam ejus naturam, ποίημα, κτίσμα, *factturam* eſſe pronuntiant. Quæ omnia manifeſtis teſtimonijs infra demonſtrabimus.

III. Secundo, Obſervatu dignum eſt eundem *Præſulem*, quod dicitur in numeroſis Patrum *Ante-Nicænorum* teſtimonijs, quibus Filium Patri ſubminiſtrare, ὑπουργεῖν, λειτουργεῖν, ὑπηρετεῖν, diſertim aſſerunt; hoc œconomiæ neſcio cui, ab Adamo incipienti, tribuere; quod quidem non modo gratis dictum exiſtimo, ſed Patrum eorundem ſententijs plane repugnare.

1. Etenim Patrum nonnulli, mundi ex nihilo creationem Patri tantummodo adſcribunt; ejuſdem ornatum, in ordinem reductionem, regimen, Filio tantum. Quod à *Methodio*, alijſq; factum eſſe infra probabimus.

2. Eidem hanc œconomiam præſtanti ea tribuunt fere omnes, quæ Patri adſcribere nefas ducunt; nec ſi de Patre ſcripta eſſent, juxta *Septimium*, facile credenda ſint.

IV. Tertio, Notandum eſt alias plurimis me exemplis oſtendiſſe ſcriptores multos, & *Concilia* à Fide *Nicæna* aliena prorſus ſentientes, nihilominus agnoviſſe Chriſtum Deum eſſe de *Deo*, *Deum ante ſæ-*

cula genitum. Quod ultra jam monſtrabo ex authore *operis imperfecti* in *Matthæum*, *Chryſoſtomo* perperam adſcripti. Is enim multis indiciis oſtendit ſe *Arianorum* ſectæ mordicus adhæſiſſe, fidemq; *Nicænam* multoties * hæreticam pronuntiat. Chriſto vero interim non ſolum † *poteſtatis virtutem*, ſed *Divinitatis naturam* adſcribit: Et tamen in eadem homilia *hæreticum* eum pronuntiat, qui *Filium Patri æqualem eſſe* ſtatuit. Et rurſus, ‖ *Quia omnia Filius, dante Patre, poteſt, ſicut Pater; ideo Pater ſimul magnus Deus eſt, & primus; Filius autem magnus Deus quidem, ſed non primus.* Et in eadem homilia †, ‘ *Secundum carnem Chriſtus erat Filius David,* ‘ *Dominus* (ejus) *ſecundum Divinitatem:* Et tamen continuo dicit * *hæreticos æqualitatis mendacium componere.* Homilia decima nona, Trinitatis profeſſionem *triangularem impietatem* profane nuncupat. Homilia 35 in hæc verba, *Non eſt meum dare vobis, ſed Patris*; hæc adnotat, *Ergo inter eum cujus non eſt, & inter eum cujus eſt, nec perſona una eſt, nec æqualis poteſtas.* Homilia 45 inter hæreticos eos numerat, qui *tres perſonas æquales, ejuſdem ſubſtantiæ, ejuſdemve authoritatis* eſſe ſtatuunt. Deniq; homilia 49 dicit *hæreſin Homoouſianam Chriſti Eccleſiæ adverſari.* Sed non eſt quod operoſius hæc proſequamur, quæ ex *Præſulis Cl.* verbis melius ediſcamus; quo teſte †, “ nullam Ariani loquendi “ formulam quam ſive ex ſcripturis, ſive ex traditione deſumptam uſurparunt *Catholici*, repudia- “ runt, præter hoc unum *Homoouſij* vocabulum: “ Filium Dei, *Deum ex ipſo Patre genitum*, quin “ & ἀληθινὸν θεὸν ultro prædicabant: Accuſationem, “ quod Filium Dei creaturam eſſe dicerent, non “ ſine indignatione reſpuebant: Hæc vafre quidem, “ ſubdole, & ſenſu ſibi ipſis reſervato, (ſi *Præſuli* ex *Athanaſio* loquenti ſit fides) “ *ſed tamen ultro* “ *prædicabant.* In ijs vero prædicandis, à Patribus accepta poſteris ſe tradidiſſe, eorumq; veſtigiis inſiſtere,

* *Ho.* 19. *p.* 75.
† *Hom.* 22. *p.* 81, 82.
‖ *Hom.* 42.
† *P.* 154.
* *Ibid. p.* 155.
† *De Homouſ.* §. 2. *p.* 62.

sistere, non tantum ipsi contendebant, sed Patres *Orthodoxi* ingenue confitebantur.

1. Etenim Filium Dei non ab æterno, sed tantum πρὸ χρόνων αἰωνίων ante tempora sæcularia genitum fuisse *, *Arius* se docuisse dicit, cum *Eusebio Cæsarienſi*, *Gregorio Cappadoce*, *Theodoto*, *Paulino*, *Athanasio*, *Anazarbi*, *Ætio*, & cum omnibus *Orientalibus*, dicentibus, *quod Pater Filio præ-existebat. Episcopi* tres, *Presbyteri* quinque, *Diaconi* sex, epistola ad *Alexandrum Alexandriæ* Episcopum missa, audacter dicunt se fidem à majoribus acceptam, & quam ab ipso didicerant, prædicare; nempe, credimus Unum Deum solum ingenitum, solum æternum, solum principio carentem, solum verum, qui unigenitum Filium πρὸ χρόνων αἰωνίων ante tempora sæcularia genuit; ipsumq; *Alexandrum* ipsos πολλάκις ἐν μέσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ multoties in media Ecclesia, & in consessu docentem audivisse, Christum ex Dei voluntate, ante tempora, & ante sæcula κτιθέντα, καὶ τὸ ζῆν καὶ τὸ εἶναι παρὰ τοῦ πατρὸς εἰληφότα, *creatum, ut viveret & esset à Patre accepisse.* Testeq; † *Sozomeno*, *Alexander Arium* se defendentem, & alios Filium Patri coæternum asserentes cum audivisset, τοτὲ μὲν τούτους, τοτὲ δὲ ἐκείνους ἐπαινεῖν, nunc hos, nunc illos laudabat. Est deniq; hoc *Ario* commune cum *Theophilo Antiocheno*, *Tertulliano*, *Lactantio*, alijsq; omnibus qui Christum λόγον προφορικὸν paulo ante mundi creationem genitum esse existimabant, quatenus vero ἐνδιαθετον cum Patre semper coextitisse.

* *Apud Theod. Eccl. Hist. l. 1. c. 4.*

† *Hist. Eccl. l. 1. c. 15. f. 426, 427.*

2. Quod Filium factum esse dicebant *Ariani*, id ex *Clemente Alexandrino*, ex *Petri prædicatione*, ex *Dionysio Alexandrino*, *Gregorio Thaumaturgo*, *Origene*, juxta *Basilium*, *Hieronymum*, & *Photium*, didicerunt.

3. Quod Patrem & Filium δύο φύσεις, δύο οὐσίας, natura & essentia duos constituebant, id cum *Origene*, *Pierio*, *Eusebio Cæsarienſi*, alijsq; nonnullis ipsos prædicasse, ex *Basilio* & *Photio* confirmavimus;

adeoq; in his omnibus fidem à Patribus acceptam ſe tradidiſſe, non ſine teſte jactitant.

|| *Ibid. p.* 428. Deniq; teſte || *Sozomeno*, multi qui cum ipſo erant Epiſcopi, nec pauci ex Clero, & populi non exigua pars, multiq; ſanctioris vitæ ſpecie venerabiles, & dicendi arte pollentes, *Arianis* favebant; collectaq; apud *Bithyniam* Synodo, ſcripſere ὡς ὀρθῶς δοξάζουσι κοινωνῆσαι τοῖς ἀμφὶ τὸν Ἄρειον, *Arianis tanquam recte ſentientibus communicare.* Epiſcopos deniq; in *Paleſtina* degentes *Arij* libello ſupplici ſubſcripſiſſe, ut liceret ipſi plebem ſibi adhærentem in Eccleſia colligere *. *Theodoretus* agnoſcit impietatem *Arianam* per *Ægypti*, & *Orientis* partes diſperſam fuiſſe. † *Euſebius* demum addit, κατ' ἐκάστην πόλιν in omni civitate Epiſcopos contra Epiſcopos decertaſſe, & populos adverſus populos inſurrexiſſe. *Vide l.* 2. *c.* 61, 62, 73.

* *Hiſt. Eccl. l.* 1. *c.* 5.

† *De vita Conſtant. l.* 3. *c.* 4.

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

Utrum Barnabæ *Sententia Filium ejuſdem numero eſſentiæ cum Patre conſtituit.*

HOC ſuſcipit probandum *Præſul Cl.* I.

1mo. Ex eo quod *Barnabas* Deum noſtrum * *orbis terrarum Dominum* vocat, cui dixit Pater, die ante conſtitutionem Sæculi, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.*

* *Juxta verſionem antiquam*, §. 5.

2°. Quod ſolem appellat † ἔργον χειρῶν αὐτῦ, *manuum ejus opus.*

† §. 5. Gr.

3°. Quod dicit idem *Barnabas* ‖, ἔχεις ἐν αὐτῷ τῷ δόξαν τῦ Ἰησῦ, ὅτι ἐν αὐτῷ πάντα, καὶ εἰς αὐτόν: *Habes in hoc* (loco) *gloriam Jeſu, quod in eo omnia, & in ipſum.* De quibus omnibus obſervandum eſt,

‖ §. 12.

1°. Nihil hic perſpicue, vel juſta conſequentia dictum eſſe de una numero Patris eſſentia Filio communicata. II.

2. Duo poſteriora loca *in antiqua verſione* non haberi; de tertio ne verbum quidem; ſecundum ad hunc modum exhibet, *reſpicientes ſolem, qui eſt opus manus Dei*; hanc autem verſionem Græcæ lectioni præferendam eſſe, vir in his rebus admodum verſatus * *Johannes Millius* his verbis docet;

* *In Mat. 4.*

" Nec enim Græca quæ habent, *Barnabæ* ipſi facilè
" adſcripſerim, cum in ijs Helleniſticum neſcio quid,
" & *Apoſtolica* dictio fere deſit, quali accommodari
" omnino videtur antiquiſſima iſta verſio". Quod ad locum primum attinet, à multis à Fide *Nicæna* maxime alienis vidimus idem dictum, Chriſtum nimirum orbis terrarum dominium, à Deo ſummo datum, accepiſſe: Agnoſcunt hoc pariter *Ariani* & *Semi-Ariani*, alijq; à nobis antea citati. Quinetiam ſolem eſſe opus manuum ejus dicunt * *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, " Chriſtumq; ſola voluntate, ad Patris
" juſſum, cœlum terramq; produxiſſe; & tamen capite præcedente, & capite 16°. ejuſdem libri, Patrem ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν θεὸν, *unum & ſolum verum Deum eſſe* aſſerunt.

* *L.* 4. *c.* 7. *p.* 246.

III. Deniq; dicit *Barnabas Moſem* Judæis ita locutum eſſe; " Cum aliquis ex vobis morſus fuerit,
" veniat ad ſerpentem in ligno poſitum, & credens
" ſperet quod, licet mortuus fuit, poteſt illi vitam
" præſtare, & ſtatim ſanabitur". Atq; in his verbis partim de cerebro ſuo *Moſi* adſcriptis, *habes*, inquit, *gloriam Jeſu, quod in ipſo ſint omnia, & in ipſum.* Quæ quidem fidem omnem in ipſo ponendam, ſpemq; omnem in ipſum collocandam eſſe probare tantum videantur: Quanquam nec gloriam Chriſto detrahunt *Ariani*, nec omnia ab ipſo fieri, & in ipſum ſive in ipſius regimen & dominium tradi, denegant. Deniq; quod Spiritus qui in Prophetis olim loquebatur, Spiritus Chriſti à *Barnaba* ſit dictus, ad Chriſti præ-exiſtentiam probandam aliquid fortè valeat; ad æternam ejus divinitatem adſtruendam, contra *Arianos*, imbelle eſt. Hi etenim cum *Pſeudo-Clemente*, *Origene*, *Euſebio Cæſarienſi*, alijſq; Spiritum Sanctum à Chriſto, à quo omnia ſunt facta, creatum eſſe ſtatuebant, adeoq; ſumma proprietate Chriſti Spiritum appellatum eſſe. Nec adhuc video quid impedit quo minus is Spiritus Chriſti diceretur, qui à Prophetis incipiens, in Chriſto (teſte *Juſtino*)

Juſtino) τὴν ἀνάπαυσιν requiem tandem habiturus erat, eiq; fine menſura tribuendus, ab eoq; tanquam donorum omnium Spiritualium fonte ad *Apoſtolos* veraq; Chriſti membra derivandus.

His addi potuit quod Epiſtolam hanc *Euſebius* ἐν νόθοις poſuit; *Cotelerius* fatetur ſe in eorum ſententiam inclinare, qui cenſent eam non eſſe *Apoſtoli*; remq; vix credibilem eſſe dicit, eximium *Apoſtolum* & Spiritu Sancto plenum, hæc ſcribere potuiſſe; adeo ut pluſquam veriſimile ſit obſcurum quendam, & dubiæ fidei authorem, ſub ementito *Apoſtoli* nomine adhuc latere. IV.

Sectio Secunda.

Utrum Hermas *Filium Dei eandem numero cum Patre eſſentiam interiori generatione ab æterno communicatam habuiſſe docuerit?*

EX *Hermæ*, ſive *Hermetis Paſtore*, duo hæc adducit *Præſul Cl.* I.

1°. Nomen Filii Dei *magnum eſſe, & immenſum, & totus ab eo ſuſtentatur orbis*; & mox, *Omnis Dei creatura per ipſum ſuſtentatur*; unde Filium Dei ab omni creatura diſtingui contendit *Præſul Cl.*

2°. Quod Filium Dei non in *ſervili loco poni* dicit Paſtor, ſed *in magna poteſtate & imperio*; in ſervili autem conditione poni, & creaturam eſſe, ἰσοδυναμοῦντα ſunt.

Verum enimvero, ſi ὁμοούιος, ſive unius Subſtantiæ loco, Patres *Nicæni* hæc tantum *Hermetis* verba poſuiſſent, nullum controverſiæ locum reliquiſſent; his enim paria, multoq; majora de Chriſto loquuntur Patres, & Concilia fere omnia quæ τῷ ὁμοούιῳ maxime adverſabantur. Filium nempe Dei, II.

Deum

Deum de Deo, lumen de lumine esse pronunciant; cujus generationem (post *Irenæum*) dicunt neminem scire nisi solum Patrem: Ita concilium *Smyrnense* apud *Socratem* Hist. Eccl. l. 2. c. 30. p. 125. *Ariminense* ibid. c. 37. p. 133. *Constantinopolitanum* c. 41. p. 153. Vide *Athanasium* de *Synodis*, p. 695, 696, 697. His adde quod *totus orbis eorum, qui per hanc petram sustentantur*, & *omnis Dei creatura, quæ per Filium sustentatur*; nec creaturas Dei omnes, nedum rationales, nec orbem universum, sed eos solum respicit qui etiam illum sustinent, nec nomen ejus abjiciunt; quod ex verbis quæ in eadem sectione sequuntur, & responsum quæstioni huic hypotheticæ exhibent, manifestum est. Nempe,

* *Simil.* 9. *N.* 14. *Ed. Cotel. p.* 75.

" * Si omnis Dei creatura per Filium Dei sustentatur, cur non & eos sustinet, qui sunt invitati ab eo, & nomen ejus ferunt"? Respondet Dominus ille, *Christum esse fundamentum eorum, & libenter eos portare qui non negant nomen ejus, sed libenter sustinent illum.* Non est igitur fundamentum eorum, qui nomen ejus abnegant, nec sustinent illum, nec egerunt pœnitentiam; hi enim in totum abjiciuntur.

III. Nec firma est *Præsulis* consequentia, quod *per hæc verba Filius Dei ab omni creatura distinguitur.* Roganti enim Dominum *Hermæ*, † *Qui sunt juvenes illi qui ædificant*; respondet, *Hi sunt angeli Dei qui primo constituti sunt, quibus tradidit Deus* (potestatem) *universam creaturam struendi, ædificandi, & dominandi creaturæ illius*; nec tamen ex his verbis sequetur angelos à Christo creatos, ab omni creaturarum serie secernendos esse.

† *L.* 1. *vis.* 3. *N.* 4. *p.* 39.

IV. Deniq; haud satis mirari possum *Præsulem Cl.* nos ad Similitudinem quintam pro Christi Deitate, unaq; ejusdem cum Patre essentia confirmanda, mittere, idq; ex his verbis contendere, ‖ *Non in servili conditione ponitur Filius Dei, sed in magna potestate, & imperio*; præsertim cum ea *Pastor* sic explicet,

‖ *Ibid. N.* 6.

plicet, " *Eſt Filius Dei in magna poteſtate & impe-*
" *rio*, quoniam eis quos (Pater) Filio ſuo tradidit,
" Filius ejus nuntios præpoſuit ad conſervandos
" ſingulos,---ipſeq; ijſdem miniſtravit itinera vitæ,
" data his lege, quam à Patre acceperat; *vides igi-*
" *tur eum eſſe Dominum, acceptâ à Patre omni po-*
" *teſtate*": An vero poteſtas à Patre accepta, eis quos Pater ei tradiderat nuntios ſive angelos præponendi, legemq; quam ab eo acceperat eis tradendi, Filium Deum verum, ejuſdemq; cum Patre eſſentiæ conſtituit? Multo certe fortiora ſunt hæc *operis imperfecti*, ex his Chriſti verbis, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, collectanea. " * A quo
" illi tradita ſunt, ſi unus eſt Pater & Filius? aut
" quare habere non poterat, niſi tradita illi fuiſſent,
" ſi per omnia Patri ſuo erat æqualis? nam ſignifi-
" catio traditionis, tam unitatis rationem, quam æ-
" qualitatis excludit: nam nec qui accipit, unus eſt
" cum dante; nec qui traditum acceperit, æqualis
" eſt ei qui tradidit". Si demum ſervum Dei & creaturam eſſe ὑποδυναμοῦντα ſunt, certum eſt, ex *Hermetis* ſententia, Filium Dei eſſe creaturam, dicente ῥητῶς Paſtore, *Servus ille Filius Dei eſt.* Ibid. N. 5.

* *Hom.* xi. *p.* 97. *c.* 2.

Nec minus mirandum eſt *Grabium* ex his verbis, *Spiritus Sanctus qui infuſus eſt omnium primus in corpore, in quo inhabitaret Deus*, Chriſti divinitatem exſculpere. Ut enim mittam in margine hunc Spiritum non *infuſum*, ſed *creatum* dici; certum eſt Spiritum Sanctum non tantum in *Adami*, ſed & in omnium Sanctorum corpora, in quibus Deus habitare dicitur, infundi, eoſq; adeo fieri τὸ θεοῦ ἐνοικητήριον Dei habitaculum per hunc Spiritum. His adde, quod verba hæc nec ſana eſſe videntur, nec puncta recte collocata; ſic enim textum legendum, punctiſq; diſtinguendum eſſe ſuſpicor. " Quare autem Domi-
" nus in conſilio adhibuerit Filium de Hæreditate, &
" bonos Angelos, quia nuntius, (l. & *nuntios*". Sequitur enim, " *advocavit ergo Filium*, & *nuntios bonos*,)
" audit,

" audit (l. *audi*;) Illum Spiritum Sanctum qui infu-
" sus est omnium primus, in corpore, in quo habitaret,
" Deus collocavit, intellecto (lege *in dilecto*) scilicet
" corpore, ut ei videbatur.

V. Deniq; Spiritum Sanctum tristitiâ à nobis affici non vult *Pastor*, [a] μήποτε ἐντύχηται τῷ θεῷ, *ne roget Dominum, & recedat à nobis.* Deus autem eundem Deum non rogat, inquiunt *Ariani*; & † *Origenes* nomine omnium Christianorum dicit, κείνομεν μὴ ἔυχεδς τοῖς ἐυχομένοις, *judicamus non oportere nos preces offerre ijs qui ipsi precantur.* Fruſtra hic *Huetius* ad Patres *post-Nicænos* nos mittit; nos enim non quid ipsi dixerint, sed quid Patres primævi senserint, inquirimus.

† Περὶ ἐυχῆς, p. 48, 49, 50.

[a] L. 2. mandat. 10. & mand. 5. ζητεῖ ἀναπαῦναι διὰ τὸ μὴ ἔχειν τόπον λειτυργῆσαι τῷ Κυρίῳ καθαρὸν βούλεται, *quærit discedere non habens* τόπον καθαρὸν *locum mundum in quo Domino inserviat, sicut vult.*

Sectio Tertia.

Utrum Clemens Romanus *unam numero Patris essentiam Filio communicatam esse docuerit?*

Ad *Clementem Rom.* accedimus, quem quidem cum *Polycarpo*, *parcè & minus clarè dogma de Filij divinitate attigisse* agnoscit *Præsul Cl.* Tria tamen selegit, ex quibus eandem fuisse Filij cum Deo Patre naturam & Deitatem, adstruere conatur.

I. 1. Quod Christum *Abrahæ Filium* dicit τὸ κατὰ σάρκα *secundum carnem*, ' qua, inquit, restrictione, aliam

'aliam in Chriſto naturam præter humanam ineſſe
'manifeſtum eſt.

2. Quod Chriſtum appellat τὸ ἀπαύγασμα τῆς μεγαλοσύνης τοῦ θεοῦ, *ſplendorem magnitudinis Dei*; & in eo præſtantiam ejus ſuper omnes Angelos collocat, quod illi ſunt miniſtri, ſive ſervi Dei; ipſe vero non ſervus, ſed Filius Dei eſt.

3. Quod hortatur *Corinthios* ad humilitatem, Chriſti exemplo, his verbis, τὸ σκῆπτρον μεγαλοσύνης τοῦ θεοῦ ὁ κύριος, *Dominus, qui eſt ſceptrum magnitudinis Dei, non venit in ſuperbia jactantiæ & faſtus, quamvis potuit; ſed in humilitate.*

An vero Patres *Poſt-Nicæni* tantis ambagibus uti ſolebant in *Chriſti* Deitate, ejuſq; τῷ ὁμουσίῳ enarrando? Nonne paginam utramq; hac in re faciunt; verbiſq; clariſſimis eum Deum verum, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Deum, dicunt, prædicant, clamitant? Eos omnes qui aliud mutire ſint auſi, *hæreticos*, Chriſtiano nomine indignos pronuntiant, orco addicunt, diriſq; omnibus devovent? Horum qui nulla omnino indicia præbent, eorum non eandem fuiſſe ſententiam pronum eſt conjicere; nec enim ijs vel zelus pro fide ad ſalutem neceſſaria deeſſe potuit, nec occaſio, poſt ortam ſæculo primo *Ebionis* & *Cerinthi*, ſæculo ſecundo *Theodoti Coriarij*, *Artemonis*, & aliorum ſententiam, defuit: conſtat etenim hos omnes Chriſtum pro puro homine habuiſſe. Sed argumenta *Præſulis Clariſ.* penitus inſpiciamus. II.

In Primo loco *Clemens* recenſet τὰ μεγαλεῖα magnificentiam donorum quæ in *Abrahamum* Deus contulerat, quod ab illo orti ſunt Sacerdotes & Levitæ, ab illo *Chriſtus ſecundum carnem*, ab illo reges, principes, & duces. Ubi Chriſto ſignanter nativitatem * ſecundum carnem tribuit, quoniam aliam is ſolus nativitatem ex Spiritu Sancto habuit, cujus gratia hic Filius *Abrahæ*, Dei Filius dicendus erat: Dicente Angelo, *Spiritus Sanctus ſuper-* III. * §. 32.

veniet

veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoq; quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Aliter plane D. *Paulus* loquitur; cum enim Christum ex *Patriarchis secundum carnem* ortum dixisset, continuo subjicit, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*; de quorum verborum sensu adhuc sub judice lis est. Idem si *Clemens Romanus* dicere voluisset, cur ea quæ *Paulus Romanis* tam clare prædicaverat, silentio premit?

IV. Secundò, Quod *Clemens* inter alia Christi elogia
* §. 36. eundem vocat *ἀπαύγασμα τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεοῦ, *splendorem magnitudinis Dei*; nihil aliud certo indicat, quam Dei magnalia in gestis factisq; Christi illuxisse; Dei sapientiam, charitatem erga humanum genus, ejusq; misericordiam in Christi Dispensatione emicuisse, & in miraculis ab eo factis potentiæ divinæ magnitudinem. Quod autem Christo nomen excellentius quam Angelis concessum esse dicit, eo quod hi Dei tantum ministri essent, ille vero Dei Filius; nec cum *Apostolo*, Epistolæ ad *Hebræos* vero Authore, adjecit, eum ab Angelis omnibus ex Dei mandato adorandum esse, eum à *Davide* Deum nuncupatum, terramq; ab eo in principio fundatam esse, cœlosq; pariter esse opus manuum ejus; argumento potius est *Clementem* de Christo aliter plane quam *Paulum* sensisse; Cur enim alias cum Christi encomia ex professo congerit, ea silentio præterierit, ex quibus potissimum divinam ejus naturam D. *Paulus* elucidaverat?

V. In † tertio loco, si *Præsulem* audiveris, *Clemens*
† §. 16. stupendæ humilitatis Christi exemplum præ oculis *Corinthiorum* proponere instituit. Idem exemplum *Philippensibus* suis positum videmus à D. *Paulo* his verbis, *Eadem in vobis sit mens quæ in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens*, Phil. 2. 5, 6, 7. Post hæc audire *Clementem*, *Pauli* contemporaneum, cum eo fami-

familiariter verſatum, & qui (ſi fides *Hieronymo*) non tantum *Pauli* ſenſibus, ſed verbis uti ſolebat, idem exemplum referentem, Chriſtum tantummodo *Sceptrum magnitudinis Dei* appellare, idq; non ex *D. Pauli* verbis probantem, ſed ex cap. 53 *Iſaiæ*, ubi legimus Chriſtum hominem doloris fuiſſe; cum de divina ejus natura, aut cum Patre æqualitate, ne verbum occurrit; magnam ſuſpicionem injicit, eadem *Clementem* cum *Paulo* minimè docuiſſe: Quorſum enim tot ambages perobſcuræ, & ad rem minus appoſitæ, ſi cum *D. Paulo* docere *Corinthios* inſtituiſſet, Chriſtum æqualem Deo Patri, & ejuſdem cum eo eſſentiæ fuiſſe? quod Orthodoxi hinc colligunt.

VI.

Quæ ex ſecunda *Clementis* epiſtola collegit *Præſul Cl.* miſſa facio. 1°. Quod eam * *Hieronymus* à veteribus reprobatam eſſe dicit. † *Photius* ὡς νόθον ἀποδοκιμάσαντες *utpote adulterinam rejici.* Scimuſq; inquit ‖ *Euſebius*, τοὺς ἀρχαίους αὐτῇ μὴ κεχρημένους *antiquos ea neutiquam uſos fuiſſe.* 2°. Quod Veteres non dicunt, cum *Epiphanio*, *Clementem* ita ſcripſiſſe ἐν μιᾷ τῶν ἐπιστολῶν *in una Epiſtolarum ſuarum*, ſed numero ſingulari ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῇ *in Epiſtola ad Corinthios.* Ita *Clemens Alex.* Strom. 2. p. 298. Strom. 4. p. 516. Strom. 5. p. 586. Strom. 6. p. 647. *Hegeſippus* apud *Euſebium*, Hiſt. Eccl. l. 4. c. 22. 3°. Quod verba hæc *maſculum cum fœmina, neq; mas, neq; fœmina*, quæ hujus Epiſtolæ fragmentum claudunt, noſtri *Clementis* non ſunt. *Caſſiano* enim hæc verba objicienti in nuptiarum improperium, reſpondet * *Clemens Alex.* ea non extare in *Evangelijs* ab Eccleſia receptis, ſed tantum in *Evangelio ſecundum* Ægyptios, quod quidem *Clementis Rom.* ætate nuſquam comparuiſſe veroſimile eſt; nec *Clementem Al.* latere potuit hæc verba apud cognominem ſuum *Clementem* reperta fuiſſe, modo Epiſtolam hanc ſecundam pro vero ipſius fœtu habuiſſet. *Præſulis Cl.* argumentis ſatis, ni fallor, reſponſi dedimus.

* *Verbo* Clemens.
† *Cod.* 113.
‖ *Hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 38.
* *Strom.* 3. *p.* 465.

VII. *Clementem* Dei Filium nec Patri æqualem, nec ejuſdem cum eo eſſentiæ exiſtimaſſe, ex eo pluſquam veriſimile eſt, quod de Deo Patre, & Chriſto, decies minimum verba faciens, Chriſtum à Deo perpetuo diſtinguit, Deum vero ne ſemel quidem nuncupat. 1°. etenim in ipſo hujus Epiſtolæ exordio *gratiam & pacem Corinthijs* optat, non prout *D. Paulus*, à Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto, ſed à Deo omnipotente διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ *per Jeſum Chriſtum.* Sectione 12, dicit *per ſanguinem Domini* futuram eſſe redemptionem *omnibus credentibus & ſperantibus in Deum.* Sectione 20, inducit magnum opificem, & rerum omnium Dominum, beneficia nobis præbentem per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Sectione 21, homines (inquit) potius offendamus quam Deum; Dominum Jeſum Chriſtum, cujus ſanguis pro nobis datus eſt, ἐντροπῶμεν revereamur. Sectione 42, Apoſtoli (inquit) evangelizarunt à Domino Jeſu Chriſto, Jeſus Chriſtus à Deo, ἐξεπέμφθη ὁ Χριστὸς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ οἱ Ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, *miſſus eſt igitur Chriſtus à Deo, Apoſtoli vero à Chriſto*; utrumq; vero factum eſt ordinatim ἐκ θελήματος Θεοῦ ex voluntate Dei. Et Sectione proxima *Apoſtolis* ἐν Χριστῷ *per Chriſtum commiſſum eſt hoc munus a Deo.* Sectione 49, *Chriſtus Dominus noſter ex voluntate Dei ſanguinem ſuum pro nobis tradidit.* Sectione 58, *Inſpector omnium Deus, & Spirituum Dominus, & herus univerſæ carnis, elegit Dominum Jeſum Chriſtum, & per eum nos, in populum peculiarem.* Et rurſus, omni animæ quæ invocaverit magnificum & ſanctum nomen ejus, optat fidem, timorem, pacem, *in beneplacitum* nominis ejus διὰ τοῦ Ἀρχιέρεως καὶ προστάτου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *per ſummum ſacerdotem & patronum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Sectione 46, *Ad quid*, inquit, *inter vos contentiones ſunt? οὐχὶ ἕνα Θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα Χριστὸν, nonne unum Deum habemus, & unum Chriſtum?* Et denique Sectione 43, *Germinavit virgo*

virga Aaronis εἰς τὸ δοξασθῆναι ὄνομα ἀληθινοῦ μόνου θεοῦ, *ut glorificetur nomen veri & ſolius Dei, cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* hoc autem apud *Clementem* eſt perpetuum Dei Patris elogium.

Hæc omnia *Præſul Cl.* diffiari poſſe exiſtimat hoc σοφῷ φαρμάκῳ*, 'Fatemur ultro Patrem ſolum eſſe 'aliquo reſpectu ſummum Deum; nempe quia, ut 'loquitur *Athanaſius*, ἡ πηγὴ θεότητος *& fons Deitatis* 'ipſe ſit, hoc eſt, ſolus à ſeipſo Deus, à quo Deita-'tem ſuam accipiunt Filius & Spiritus Sanctus: atq; 'eadem de cauſa, appellationem veri Dei Patri in 'S. Literis, & in Veterum Scriptis, præſertim cum 'divinæ perſonæ conjunctim nominantur, proprie 'tribui: Interim conſtanter ijdem aſſerimus Filium 'eſſe *lumen de lumine, Deum ex Deo*, adeoq; *Deum 'verum ex Deo vero*, cum patribus *Nicænis*.

VIII.

* §. 2. N. 10. p. 94, 95.

Reſpondeo, ultro me itidem fateri *Athanaſium*, alioſq; qui fidem *Nicænam* amplexi ſunt, hæc de fonte Deitatis &c. ſæpius, prout eorum ſententia poſtulabat, ingeminaſſe; eoſdemq; Chriſtum *Deum de Deo, Deum verum*, ejuſdem cum Patre eſſentiæ Deum, haud minus frequenter docuiſſe. Oſtendat vero *Præſul Cl.* hæc à patribus primi & ſecundi ſæculi pariter uſurpata, & libenter ipſi concedemus eos eandem cum patribus *Nicænis* ſententiam amplexos eſſe; id autem nec aggreſſus eſt vir in his rebus verſatiſſimus. Nos autem oſtendimus eoſdem continuo, *ubi de Patre & Filio conjunctim loquuntur*, Patrem ſolum Deum unum verumq; appellare, nec de eo tanquam fonte & cauſa divinitatis Filij & Spiritus Sancti unquam loqui; quod mihi indicium eſt eoſdem de hoc χρυσοφυγιλλῷ ne per ſomnium quidem cogitaſſe. Quinetiam multa ſunt in locis jam ex *Clemente* allatis, quæ ſolutionem hanc minime admittent: qualia ſunt,

1. Quod dicit miſſum eſſe Jeſum Chriſtum à Deo, Apoſtolos autem à Jeſu Chriſto, *ex voluntate Dei*; ijſq; *per Chriſtum* commiſſum eſſe hoc munus

à Deo. In quibus voluntatem Chriſti non unam eandemq; cum voluntate Dei Patris conſtituit, Chriſtum vero miniſtrum Patris in *Apoſtolis* ad hoc munus mittendis exhibet, Chriſtumq; ſolum à Deo Patre miſſum eſſe, *Apoſtolos* à Chriſto prædicat.

2. Cum unum eſſe Deum, unum Chriſtum agnoſcit, id dicit quod Patribus omnibus primi & ſecundi ſæculi cum eo commune eſt; Ita videlicet *Hermas* l. 2. mandato primo: ita *Juſtinus M.* Apol. 2. p. 63. *Irenæus* l. 2. c. 66. *Clemens Alex.* p. 118. *Athenagoras* p. 5. *Theoph.* p. 110. *Tatian.* p. 144. Oſtendat verò qui poteſt, Patrum horum quempiam, erroris vitandi gratia, dixiſſe, aſſerere ſe Filium & Spiritum Sanctum ejuſdem cum Patre eſſentiæ Deum eſſe, Patrem vero eo tantum reſpectu Deum unum, ſummum, Deum ſolum & verum ab ijs appellari, quod *fons ſit Deitatis Filij & Spiritus Sancti, & ſolus à ſeipſo Deus.* Quod enim eorum quidam de ſolo Filio loquentes à Patre genito, exemplo *luminis de lumine, & facis de face* accenſæ utuntur, contrarium ſuadet: fax enim à face, aut lumen de lumine accenſum, non eandem numero ſubſtantiam, ſed numero diverſam conſtituit.

3. *Clemens* non tantum Patrem *verum* & *ſolum Deum* pronuntiat, ſed cum hoc elogio, *cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen*; quod apud eundem eſt Patris ſolius epitheton, vide ſect. 32, & 50; nec Filio, ſed Patri per Filium adſcribendum, δι' ἐυτοῦ δόξα *per quem ei ſit gloria*, ſect. 58, 59. *Grabius* in notis ad hanc *Præſulis* Sectionem contendit, Filium Dei *Deum* appellatum eſſe à *Clemente* his verbis *, *contenti fuiſtis* τοῖς ἐφοδίοις τοῦ θεοῦ *Dei viaticis*, & παθήματα ἐυτοῦ *paſſiones illius* (nempe Dei) *præ oculis veſtris erant*: Agnoſcit tamen *Junium* hîc legiſſe non παθήματα ſed μαθήματα *documenta*; quam conjecturam firmant verba immediate præcedentia, καὶ προσέχοντες τοῖς λόγοις ἐυτοῦ, *contenti viatico Dei, & attendentes verbis ejus, & documenta ejus præ oculis habentes*;

* §. 2.

habentes. Nec *Grabij* cauſam adjuvat, vel quod alibi mentio facta eſt ſanguinis *Chriſti pro nobis effuſi*, cum *documentorum Dei* non minus frequens ſit mentio; nec quod poſt verba de ſanguine Chriſti pro nobis fuſo, ſectione 21, ſequitur hortatio ad præpoſitos & ſeniores honorandos: Idem enim hic contigit Sectione prima, τοῖς νόμοις τῦ θεῦ ἐπορεύεσθε, *in Dei legibus ambulaſtis, ſubditi præpoſitis veſtris, honorem debitum ſenioribus veſtris tribuentes.* Nec deniq; mirum eſt in charta carie confecta, & in literis non multum inter ſe diſcrepantibus, σφάλμα tam leve contigiſſe.

Caput Secundum.

ACTUM eſt de Patribus primi ſæculi; quorum duo primi non tantum ab antiquis pro ſpuriis ſunt habiti, ſed adeo fabularum involucris, & viſionum ſive ſomniorum caligine ſunt obducti, ut Chriſtianæ fidei documenta ex ijs fruſtra quæſiveris. Unum eorum, *Hermam* videlicet, literas ſacras primis vix labris attigiſſe, aut eaſdem inſuper habuiſſe, merito ſuſpiceris; Alter vero vix eas unquam, prout in fonte ſe habent, exhibet; & interpretamentis contortis, & ſupra modum ineptis, non tam explicat, quam corrumpit; adeo ut eos pro S. Scripturæ interpretibus idoneis proponere, riſum potius quam refutationem mereatur. Solus *Clemens* Chriſtianæ fidei ſimplicitatem præ oculis lectoris ponit; notante enim * *Photio, ſimplex ejus oratio eſt, & perſpicua; reprehendat vero ipſum aliquis, eo quod ſummum Sacerdotem, præſidemq; Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* appellans, *nec Deo convenientes, nec ſublimiores de eo voces pronunciaverit.* *Cod. 126.

Sectio Prima.

I. AD Patrum ſecundi ſæculi ſententias excutiendas jam ordine progredior; inter quos primus occurrit *Polycarpus*, quem μετὰ σαφηνείας καὶ ἁπλότητος *cum perſpicuitate & ſimplicitate*, Eccleſiaſtici more interpretis, ſcripſiſſe, merito dicit * *Photius*; & ex cujus epiſtola ad *Philippenſes*, teſte † *Irenæo*, τὸν χαρακτῆρα τῆς πίστεως αὐτοῦ, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα, *characterem fidei ipſius, & veritatis doctrinam, qui volunt, & curam habent ſalutis ſuæ, poſſunt diſcere.* Is autem ſepties mentionem facit Salvatoris noſtri: tantum vero abeſt ab ea ſententia quæ Filium ejuſdem cum Patre eſſentiæ, ejuſdemq; voluntatis conſtituit, ut nec ſemel eum *Deum* nuncupat, immo ſemper eum à Deo Patre, à Deo omnipotente ſejungit. Nam (1°.) ipſa epiſtolæ inſcriptio optat *Philippenſibus* miſericordiam & pacem παρὰ θεοῦ παντοκράτορος, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *à Deo omnipotente, & Domino Jeſu Chriſto.* Sectione 1, dicit, Sanctorum vincula eſſe *diademata vere electorum* ὑπὸ Θεοῦ, καὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, *à Deo, & à Domino noſtro*; & rurſus, *Gratia eſtis ſalvati, non ex operibus*, ἀλλὰ θελήματι Θεοῦ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *ſed voluntate Dei, per Jeſum Chriſtum.* Sectione 3. fidem ait eſſe *matrem omnium noſtrûm, ſubſequente ſpe, præcedente charitate* εἰς θεὸν, καὶ Χριστὸν, καὶ εἰς τὸν πλησίον, *in Deum, & Chriſtum, & in proximum.* Sectione 5, Diaconos inculpatos eſſe jubet ὡς Θεοῦ, καὶ Χριστοῦ, διάκονοι, *ut Dei, in Chriſto, miniſtri*; & rurſus, *Philippenſes* preſbyteris & diaconis ſubditos eſſe admonet ὡς θεῷ, καὶ Χριστῷ, *ut Deo, & Chriſto.* Et demum Sectione 12, *Deus*, inquit, *& Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei Filius, Chriſtus Jeſus, ædificet vos in fide, & veritate, & det omnibus ſortem inter ſanctos ſuos, qui credituri ſunt in Dominum*

* *Cod.* 120.

† *L.* 3. *c.* 3.

num noſtrum Jeſum Chriſtum, & in ipſius Patrem, qui reſuſcitavit eum è mortuis.

II. An vero ſanus quiſpiam exiſtimare poteſt ex ſententia *Polycarpi, Deum Omnipotentem, & Chriſtum*, eundem eſſe Deum omnipotentem? *eligi à Deo & Domino noſtro*, eſſe eligi à Deo & eodem Deo? *ſalvari voluntate Dei per Jeſum Chriſtum*, eſſe ſalvari voluntate Dei, per voluntatem ejuſdem Dei? *charitatem in Deum & Chriſtum*, indicare charitatem in Deum, & eundem Deum? *Diaconos Dei, & Chriſti*, eſſe diaconos Dei, & ejuſdem Dei? Porro cum *Philippenſes* admonet *ſubjici presbyteris & Diaconis, ut Deo & Chriſto*, vel æqualem utriſque ſubjectionem poſtulat; vel inæqualem Deo, & Chriſto ſubjectionem, ex comparatione iſta deberi cenſuit.

III. Habet tamen *Præſul* Cl. quædam quæ, ex hac ipſa epiſtola, pro una eademq; Patris & Filii eſſentia, ſuo ſaltem judicio, militare videantur.

1. Quod Sectione 12. optat à Deo & Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti *gratiam in hac vita, & gloriam in futura.* Fruſtra ſane: Ut enim id miſſum faciam, hæc votum potius indicare, quam directam invocationem; diſertiſſimis verbis hæc optat, ut exhibenda non tantum à Patre, ſed *à Deo Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quem non *Deum de Deo*, ſed tantum *Dei Filium* nuncupat; ut obtinenda à Chriſti Deo, per *ſempiterni Pontificis* ad Deum ſuum interpellationem. Cujus autem hoc officium eſt à Deo ſuo hæc interpellando obtinere, ab ipſo nec optat hæc ut Deo peragi, nec æquè ab ipſo ac à Patre & Deo ſuo obtinenda exiſtimat. Quid quod poſſe Chriſtum gloriam iſtam ſervis ſuis impertire ex Patris ſui dono, ex his ipſius verbis cognoſcimus, *Dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* Joh. 17. 2.

2^do^ Clara, inquit *Præſul*, ſunt verba *Polycarpi* de Chriſto omnium inſpectore & judice.

Sed pace viri Cl. quanquam Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſſe omnium inſpectorem nemo
* §. 12. inficias iverit, citata tamen * *Polycarpi* verba, nec clare hoc, nec omnino indicant; Nam *Deus, & Dominus, cujus ante oculos ſumus*, clare à Chriſto diſtinguitur his verbis immediate ſequentibus, & *omnes nos ſtare oportet ante tribunal Chriſti.* Qui ergo, juxta *Præſulem, per integram hanc paragraphen de una eademq; perſona loquitur*, eum de alio ab eo ante cujus tribunal nos omnes ſtare oportet, loqui neceſſe eſt.

IV. Pergit *Præſul* Cl. ſententiam ſuam adſtruere
† *Epiſt. Eccl. Smyr.* ex Oratione † *Polycarpi* martyrium jam jam ſubituri, qua "Jeſu Chriſti Patrem, Deum Omnipoten-
§. 14. "tem, Deum Angelorum, Poteſtatum, & totius "creationis ἀψευδῆ, καὶ ἀληθινὸν θεὸν, mendacij neſcium, "& verum Deum nuncupat. *Quapropter*, inquit, *de omnibus laudo te, benedico tibi, glorifico te* σὺν τῷ αἰωνίῳ, καὶ ἐπουρανίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ ἠγαπημένῳ σου παιδὶ, δι' οὗ σοι, σὺν πνεύματι ἁγίῳ δόξα καὶ νῦν, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, *cum ſempiterno & cæleſti Jeſu Chriſto, dilecto tuo Filio, per quem, in Spiritu Sancto, ſit tibi gloria nunc, & in futura ſæcula.* Vides, juxta *Præſulem*, Patrem non modo per Filium, ſed cum ipſo glorificari, una eademq; gloria utriq; in Spiritu Sancto tributa, quæ Δοξολογίας ratio *hæreſi* eorum qui veram Chriſti divinitatem negant, plane adverſatur.

Sed multa hic peccat, multa hic precario dicit *Præſul* Cl. Quod Filium unius cum Patre eſſentiæ conſtituat, prorſus nihil. Nam 1^mo^ gloriam tribuit non Deo Patri, & Filio; ſed Deo Patri per Filium: Quod plane indicat non unam eandemq; gloriam, quæ uni per alterum tribuitur, illi alteri pariter tribui. 2. Supra agnoſcit ſe *Dei omnipotentis, & Patris Chriſti notitiam per Filium ejus accepiſſe*: Quid ergo obſtat quo minus Patrem cum Filio glorificaret pro omnibus quæ ab utriſq; accepit, nempe à Patre

per

per Filium? *Per quem*, juxta D. Petrum, *credimus in Deum, qui eum à mortuis excitavit, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo*, illo nempe qui Chriſtum è mortuis reſuſcitavit. 3°. Δοξολογίαν *Polycarpi* nec bene explicat *Præſul Cl.* nec firmum eſt argumentum quod ab ea ducit: Fruſtra ſane ſe torquet in ſenſu horum verborum (*in Spiritu Sancto*) exhibendo; quorum vim, & poteſtatem S. *Scriptura* clarè exhibet, *cauſam per quam* hac phraſi ſignificando: Ita *David* ἐν πνεύματι ἁγίῳ *per Spiritum Sanctum* loquitur, *Matth.* 22. 43. *Mar.* 12. 36. ut fiat oblatio gentium ſanctificata ἐν πνεύματι *per Spiritum Sanctum*, Rom. 15. 16. Nemo poteſt vocare Chriſtum Dominum, εἰ μὴ ἐν πνεύματι ἁγίῳ *niſi per Spiritum Sanctum*, 1 Cor. 12. 3. ἐν πνεύματι ἁγίῳ *per Spiritum Sanctum*, 2 *Cor.* 6. 6. Evangelizamus vobis ἐν πνεύματι ἁγίῳ *per Spiritum Sanctum miſſum de cælo*, 1 *Pet.* 1. 12. orantes ἐν πνεύματι ἁγίῳ, i. e. *per donum Spiritus Sancti*, Judæ v. 20. Vide etiam *Rom.* 15. 19. Hæc ergo videtur δοξολογίας hujus mens; *per quem, immittentem nobis in hanc rem Spiritum Sanctum, ſit tibi gloria*, &c. Deniq; argumentum ex hac doxologia ductum infirmum eſſe, facile eſt demonſtrare: Quod ut felicius præſtem, obſervandum eſt 1^mo^. tres olim extitiſſe δοξολογίας formulas; unam, δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ, *gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, quæ tandem *Catholicorum* & orthodoxa dicebatur. Alteram, δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *gloria Patri, & Filio, per Spiritum Sanctum.* Tertiam, δόξα πατρὶ, διὰ υἱοῦ, ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto*; Quæ *Arianis* potiſſimum placuit, utpote quæ inæqualem Patri Filium, & Filio Spiritum Sanctum, eorum ſaltem judicio, indicabat. Notandum 2°. Patres primi & ſecundi ſæculi nuſquam formulam illam quam *Catholicam* vocant, in uſu habuiſſe; illam vero quæ *Arianis*, præ cæteris, arriſit, apud primævos Patres potiſſimum obtinuiſſe. *Clemens R.*

epiſtolam ſuam ad *Corinthios* bis claudit his verbis, δι' ἧς αὐτῷ δόξα, *per quem Filium Deo Patri ſit gloria.*

* *Apol.* 2. *p.* 97, 98. * *Juſtinus M.* bis inducit Chriſtianos gratias agentes Deo omnium Opifici διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου *per nomen Filij & Spiritus Sancti*, vel διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου *per Filium ejus J. Chriſtum, & per Spiritum Sanctum. Conſtitutionum Apoſtolicarum* formula ſic ſe habet, δι' ἧς τῷ θεῷ ἐν πνεύματι, καὶ ἀληθείᾳ, *per quem gloria ſit Deo in Spiritu, & veritate.* His adde quod *Origenem, Dionyſium Alex. Gregorium Thaumaturgum, Euſebium Cæſarienſem*, catholicam δοξολογίαν formulam uſurpaſſe tradit ‖ *Baſilius*; quos omnes de Filij Dei vera Deitate male ſenſiſſe partim probavimus, & copioſius infra demonſtrabimus; unde conſtat nullum certum Orthodoxias argumentum ex hujus δοξολογίας formula adduci poſſe.

‖ *L. ad Amphiloch. c.* 29. *p.* 358, 359.

Porro quæ ex *Victoris Capuenſis* fragmentis pro *Polycarpi* ſententia firmanda adfert *Præſul Cl.* eo nomine rejicienda ſunt, quod, teſtibus *Cavio* noſtro, & *Grabio*, dubiæ ac incertæ ſunt fidei: "Hiſce "etenim fragmentis, inquit *Grabius* in locum, "quædam aſſuta eſſe, poſt *Halloixium*, bene mo- "nuit *Uſſerius*". *An ſint genuina, non ſine ratione dubitare licet*, inquit *Cavius*.

SECT.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum Juſtinus M. τὸ ὁμοούσιον, *ſive Filium eandem numero eſſentiam cum Deo Patre habuiſſe, aſſeruerit.*

MAgnam admirationem mihi injecit iniqua eorum ſententia, qui *Juſtinum M.* Chriſtianæ fidei ſimplicitatem, in doctrina de Chriſti præexiſtentia, veraq; Deitate, adulteraſſe ſuſpicati ſunt; quo Patrum nemo, meo quidem judicio, vel plura, vel clariora adverſus Synodi *Nicænæ* placita docuiſſe, facile eſt demonſtrare. Quod ut dextro auſpicio evidentius oſtendam, *Præſulis Cl.* & *Grabij* argumenta lectoris oculis ſubjiciam, ijſq; pleniſſimum reſponſum ex perſpicuis & multoties repetitis *Juſtini* verbis reddam.

Et primò, *Juſtini* ætate dogma τῦ ὁμοουσίου invaluiſſe, his argumentis contendit *Præſul Cl.* I.

1°. " Quod Chriſtus ſignanter, & propriè Dei " Filius, & ex Deo genitus indigitetur ". Quibus addit *Grabius*, " *Juſtinum* agnoſcere Deum ἐξ ἑαυτῦ " *ex ſeipſo* hunc Filium generâſſe ".

2°. " Idem probare nititur ex ſimilitudine, qua " virtutem hanc Dei, quam vigeſies minimùm " Filium eſſe dicit, à Patre genitam eſſe indicat, " non abſciſſione, aut divinæ eſſentiæ imminutione, " ſed prout ignis accenditur ab igne, nihil diminu- " to, ſed eodem manente.

3°. " Quod Chriſtum, quem Deum, & Domi- " num virtutum, & Deum Iſraelis appellari, ex ve- " teris Teſtamenti ſcripturis probat *Juſtinus*; illum " eſſe contendit qui Moyſi & Patriarchis apparuit, " quem hi tanquam Deum ſuum adorabant, quiq; " nomine tetragrammato à Spiritu Sancto coho- " neſta-

" neſtatur". Quod vero hunc à Deo Patre & rerum omnium Opifice ἕτερον θεὸν, alium Deum pronuntiat; per hoc, ſi *Grabio* ſit fides, " filium non " alienæ aut diverſæ à Patre eſſentiæ eſſe vult, ſed " ſolum diſtinctam ejus ὑπόστασιν indicat". Quo nihil à mente *Juſtini* magis alienum dici potuit.

Accedit deniq; dicente *Grabio*, quod " Chriſtum " Deum adorandum eſſe ex Scripturis paſſim docu- " erit *Juſtinus*, Dial. p. 287, 293, 294, 302. at " vero neminem niſi verum Deum adorandum eſſe " planiſſime docet *Juſtinus*, Apol. 1ª. edit. *Pariſ.* p. 63, 64. Hæc autem argumenta ficulna eſſe, & parum valido tibicine fulta, mentiq; *Juſtini* prorſus contraria, ex diſertiſſimis ejuſdem verbis, nulliſq; ſtrophis eludendis, probabimus.

II. Agnoſcimus ergo *primo*, Filium Dei, ex *Juſtini* ſententia, eſſe Deum adorandum; ita tamen ut Deum ſummum, Deum quem appellat primum omnium Opificem, ſolum κυρίως *propriè* adorandum eſſe cenſeat; Filium autem Dei, ſenſu inferiore, ᾧ μετὰ τὸν Θεὸν *poſt Deum principem* colendum eſſe; ſive, ut verbis * *Origenis* utar, τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ *Deo ſuper omnia* ſupplicandum τῇ προσευχῇ κυριολέκτως *oratione propriè ſic dicta*; Deo autem Verbo διὰ καταχρήσεως *abuſivè* aut minus propriè. v. g. *Grabio* notante, agnoſcit † *Juſtinus* Dominum noſtrum docuiſſe, Deum ſolum adorandum eſſe, his verbis, *Dominum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies toto corde, & totis viribus, Domino nempe Deo qui fecit te.* His autem verbis non Filium Dei, ſed Patrem ejus intelligendum eſſe conſtat. 1°. Quod hoc Chriſti mandato recitato, dicit de eo qui Deum hunc toto corde totiſq; viribus diligit, ‖ ἕνα ἄλλον τιμήσει *nullum alium Deum colet*; *Angelum vero illum*, Θεοῦ ἐυδοκοῦντος *Deo volente, colet, dilectum* ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου *ab hoc Domino Deo.* Ubi manifeſte Angelum hunc à Domino Deo in hoc mandato intellecto diſtinguit, eumq; *tantum ex Dei hujus voluntate* colendum eſſe aſſerit.

* *L.* 5. *contra Celſ. p.* 233.

† *Apol.* 2. *p.* 63, 64.

‖ *Dial. cum Tryph. p.* 321.

aſſerit. 2°. Hoc probat ex eo, quod accedenti ad Chriſtum cuidam, & ei dicenti, *Magiſter bone*, reſpondet Chriſtus, *Nemo bonus præterquam ſolus Deus* ὁ ποιήσας τὰ πάντα *qui fecit omnia*; quem Deum, Chriſti *Patrem* eſſe, ex dialogo cum *Tryphone* conſtat, ubi verba eadem ſic exhibet, *unus bonus eſt* * ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Pater meus qui in cœlis eſt.* * *Ibid.* p. 328.

Quinetiam eandem inter Chriſtianos doctrinam obtinuiſſe *ſæculo tertio* locuples teſtis eſt † *Origenes*, qui libro contra *Celſum* primo dicit, Chriſtum docuiſſe, *ſoli* ‖ τῷ ὄντι παντὶ Θεῷ cultum exhibendum eſſe *Deo ſuper omnia*; Chriſtianos * ſolum Deum ſummum colere, & Verbum primogenitum ejus Filium, ὅτι ἀπὸ Θεοῦ δέδοται αὐτῷ τιμᾶσθαι *quoniam à Deo conceſſum eſt ipſum honorari*; quod ex verbis Chriſti probat, *nemo bonus* εἰ μὴ εἷς, Θεὸς ὁ πατήρ, *niſi unus, Deus Pater*, p. 238. † *P.* 10. ‖ *P.* 278. * *P.* 384.

2°. Chriſtum Dominum *poſt Deum* colendum eſſe idem † *Juſtinus* aſſerit; " Eſt enim, inquit, " ineffabilis Dei Filius, quem nos *Chriſtiani* μετὰ τὸν " Θεὸν *poſt Deum* colimus, (i. e. poſt Deum ἀγέν- " νητον καὶ ἀῤῥητον *ingenitum* & *ineffabilem*"; quibus epithetis Deum Patrem à Filio ejus diſtinguit;) " idq; præſtamus, inquit, (non ob eandem ejus cum Deo Patre eſſentiam, ſed) *quod noſtrâ cauſâ homo factus eſt, ut perpeſſionum noſtrarum participatione medelam nobis adhiberet.* Et rurſus: " Deum " Patrem, & Filium ab eo venientem, & Spiritum " Propheticum colimus, & adoramus; ſed inæquali cultu, nempe ‖ Patrem *primo* loco, Filium *ſecundo*, Spiritum *tertio ordine*". *Athei*, inquit, *non ſumus*, * τὸν δημιουργὸν τοῦ παντὸς σεβόμενοι *qui Deum omnium Opificem colimus*; *Filium autem* τὸν ὄντως Θεοῦ *ejus qui verè Deus eſt, in ſecundo*; *& Spiritum propheticum tertio ordine, cum ratione honoramus. Unde inſanire nos dicunt Ethnici, quod* δευτέραν χώραν μετὰ τὸν ἀῤῥεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα Θεὸν *ſecundum locum* † *Apol.* 1. *p.* 51. ‖ *Apol.* 2. *p.* 56. * *P.* 60, 61.

poſt

post immutabilem & semper existentem Deum, & omnium genitorem, homini crucifixo (cultum ei exhibendo) *tribuimus.*

3°. Christianos dicit *per Filium* Deum Patrem invocare, * τὸν Θεὸν ἀεὶ διὰ τὸν Ἰησοῦν χριστὸν παρακαλοῦμεν, *Deum semper per Jesum Christum invocamus, ut à dæmonijs custodiamur*; & in Eucharistia celebranda docet Christianos τῷ † πατρὶ τῶν ὅλων *omnium parenti per nomen Filij & Spiritus Sancti precari:* Quibus respondent hæc *Origenis* verba de cultu Christianorum; " *Magis valebit ratio nostra* ‖ περὶ τῆς τῷ Θεῷ τῶν ὅλων δουλείας μόνης διὰ τοῦ μονογενοῦς τῷ Θεῷ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ *de cultu soli Deo omnium adhibendo, per Filium ejus adducentem nos Deo.* Et rursus; *Sine tristitia sumus in serviendo Deo super omnia,* διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ λόγου *per Verbum ejus unigenitum.* Concedimus ergo ex his *Psalmistæ* verbis, *Deus tuus est, & adorabis eum, Justinum* collegisse Filium Dei καὶ Θεὸν εἶναι, καὶ προσκυνητὸν, *& Deum, & adorandum esse,* quod Θεοῦ βουλομένου *ex Dei voluntate* id factum est, & quod Deus hanc gloriam ei concessit; unde *Tryphoni* objicienti Deum per *Esaiam* dixisse, *Gloriam meam non dabo alteri,* respondet *Justinus* ὅτι ὁ * Θεὸς τῷ Χριστῷ αὐτοῦ μόνῳ τὴν δόξαν δώσει, *quod Deus soli Christo ejus hanc gloriam dederit*; Deumq; affirmare daturum se huic gloriam, quem in lucem gentium constituit. Adorandum esse ex mente *Justini* & *Origenis* dicimus Deum rerum omnium Opificem, & Christum; sed eum qui à *Deo primo*, à *Deo super quem alius Deus non est*, à *Deo super omnia* perpetuo ab ijs distinguitur, & *Deus numero alter* appellatur, inferiori adorationis genere colendum esse, ex eorum sententia necesse est. Itaq; huic *Grabij* argumento ex Christi adoratione desumpto, plenè & perspicuè responsum est.

III. Ad novum *Grabij* ἔνστημα accedo: " *Justinum* " Christum Deum esse alterum numero à mundi " Opifice primario, tam multis contendere, non " quod

* *Dial.* p. 247.

† *Apol.* 2. p. 97, 98.

‖ *Adv. Cels.* l. 8. p. 384.

* *Dial.* p. 289, 290.

" quod Filium alienæ, aut diversæ à Patre essentiæ
" esse voluerit, sed solum ut distinctam ejus ὑποστα-
" σιν indicaret: Quod à mente *Justini* alienum esse non tantum demonstratum dabo, sed *Grabij* argumento ex locis duobus *Justini* invicem collatis copiosius respondebo, eademq; opera tertio *Præsulis Cl.* argumento satisfaciam. Primò igitur, Mirandum est virum doctum hoc in animum suum admittere potuisse; utpote qui probe noverit τῆς ὑποστάσεως vocem, vel in hoc, vel in alio sensu, apud *Justinum* in operibus ejus genuinis non inveniri; eumq; *personam* ὑποστάσεως nomine nunquam, προσώπου vocabulo pene decies exprimere; nec personalitatem ab essentia distinctam eo nomine indicare, sed integram personæ essentiam. Equidem metaphysicam hanc personalitatis ideam ante *Sabellij* dogma compertam esse vix putem. Cum vero Patres *Post-Nicæni* vel Christum alium esse numero à Patre Deum cum *Basilio* disertim negent, vel, si quid ejusmodi ex ore eorum exciderit, hoc ὑποστάσεως emplastro medelam adhibeant, caveantq; ne dicta eorum sinistre intelligerentur; *Justino* vigesies ad hunc modum loquenti, nulla prorsus cura, cautio nulla adhibita est, ut sensum hunc periculosum, & τῷ ὁμοουσίῳ ex diametro adversum, ex animis lectorum eximeret; plurima vero dicit, eaq; fortissima, quæ ad eundem firmandum valeant: Sed missis hisce præludijs, loca à *Grabio* allata, immo rem totam, ex ipsius *Justini* verbis penitus expendamus.

Hic autem imprimis observanda est *Justini* distinctio inter τὸν ποιητὴν *Opificem* omnium, & δημιουργὸν, id est, *Artificem*; inter quos, inquit, * πολλὴ διαφορὰ. *magna est discrepantia*: is enim ποιητὴς *Opifex* appellatur, qui nullo alio indigens, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ δυνάμεως, καὶ ἐξουσίας, *ex propria virtute, & potestate facit quod factum est*; is autem δημιουργὸς, *qui opificij potestatem ex materia mutuatus, opus suum peragit.* Hæc ex ore *Methodij* clarius elucidabimus; † Νῦν δὲ

IV.

* *Cohort. ad Græcos*, p. 21.

† *Apud Photium cod.* 235. p. 937.

ἡ δυνάμεις ποιητικὰς *duas potestates effectrices in supradictis esse diximus*; *unam quæ ex rebus non existentibus, sola voluntate, sine rerum divisione, cum voluit, ex seipso operatus est quæ voluit*, τυγχάνει ἡ ὁ πατὴρ ἐστὶ; *is Pater*; aliam κατακοσμοῦσαν καὶ ποικιλλοῦσαν κατὰ μίμησιν τῆς προτέρας τὰ ἤδη γεγονότα, *quæ exornat, variatq; omnia quæ jam facta sunt juxta prioris ideam*, ἐστὶ ἡ ὁ υἱὸς *is autem Filius est, omnipotens & fortis Patris manus, qua* μετὰ τὸ ποιῆσαι τὴν ὅλην ἐξ οὐκ ὄντων κατακοσμεῖ *materiam ex nihilo prius creatam exornat.* Hinc Verbum, τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων omnium rerum opificem, *Justinus* nunquam appellat, sed
* *P.* 44. ab eo semper distinguit. Ita in * Apologia vulgo prima, Deo ingenito καὶ πατρὶ πάντων *& omnium Patri*, nullum nomen impositum esse dicit; Filius autem ejus qui solus κυρίως *proprie* Filius appellatur, Verbum simul cum eo existens, & ab eo genitum, cum primitus per ipsum Deus (ille ingenitus) πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε *omnia creavit & ornavit*, Christus dicitur, κατὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεὸν *eo quod per ipsum omnia unxit, & ornavit Deus* (Pater.) Hinc is qui à *Methodio omnipotens & fortis Dei manus dicitur*, juxta Justi-
† *Ibid.* *p.* 49. ni Theologiam est † δύναμις *virtus ineffabilis Patris*, ‖ ἡ πρώτη δύναμις *prima virtus post Deum omni-*
‖ *Apol.* 2. *p.* 74, 93. *um Patrem & Dominum*, ἡ μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν δύναμις *virtus post primum Deum*, & * κρυφία δύναμις τοῦ
* *Dial.* *p.* 269. θεοῦ *Dei occulta virtus*; & per ipsum omnia Deus condidisse & adornasse dicitur, quia virtute à Patre ineffabili derivata id præstitit, ἐπειδὴ δύναμίς ἐστι *quoniam virtus est Patris ineffabilis*, cui ὁ πατὴρ αὐτοῦ τοσαύτην ἔδωκε δύναμιν, *Pater ejus tantam dedit potestatem, ut ejiceret dæmonia*, ipso dicente se ἐν πνεύματι καὶ δακτύλῳ θεοῦ *in spiritu & digito Dei dæmonia ejecisse*, Matth. 12. 28. Luc. 11. 20. Hinc
† *Dial.* *p.* 311. etiam *Dominus virtutum* appellatur † κατὰ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς *juxta voluntatem Patris hoc ei dantis.*
‖ *Ibid.* *p.* 313. ‖ Alias *à Patre accepisse* dicitur *quod sit rex, &*

Christus,

Christus, & Sacerdos, & Angelus, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἔχει *& quæcunq; ejusmodi alia habet*; eumq; venisse dicit * κατὰ τὴν τοῦ παντοκράτορος καὶ πατρὸς δύναμιν δοθεῖσαν αὐτῷ, *secundum Patris omnipotentis virtutem ipsi datam*; & præ omnibus creaturis extitisse † ἀπὸ τοῦ πατρὸς δυνάμει αὐτοῦ καὶ βουλῇ προελθόντα *à Patre procedentem* (non essentiæ ejusdem communicatione, sed) *virtute ejus & consilio.*

* *Ibid.* p. 369.

† *Dial.* p. 327.

Concedimus ergo doctissimo *Grabio, Justinum Tryphoni* ῥητῶς dixisse, " ‖ Neq; unquam alius erit, " neq; alius Deus à sæculo condito fuit, præter " eum qui fecit & disposuit τόδε τὸ πᾶν *hunc mun-* " *dum*, i. e. *cælum & terram*; οὐδὲ ἄλλον μὲν ἡμῶν, ἄλλον δὲ ὑμῶν ὑπολαμβάνομεν θεὸν *neq; alium nostrum à vestro Deum esse ducimus, sed illum ipsum qui eduxit patres vestros ex Ægypto cum manu forti & brachio excelso, nec in alio quopiam speravimus,* οὐ γὰρ ὅστιν *non enim alius Deus est,* ἀλλ' εἰς τοῦτον, εἰς ὃν ὑμεῖς, τὸν θεὸν Ἀβραὰμ *sed in illum speramus in quem vos, nempe in Deum Abraami, Isaaci, & Jacobi*; Hæc autem omnia de Deo πάντων ποιητῆ *omnium opifice, supra quem Deus alius non est*; & à quo Deum Filium continuo distinguit, utpote in eo solo cum Christianis ipsum sperantem; & cui soli se Christiani consecrarunt; ex verbis *Justini* sequentibus abunde constat.

‖ *Ibid.* p. 226, 227.

Et 1°. Deum Filium ab omnium Opifice & parente distinguit, Judæis hoc opprobrij loco imputans, quod Christianos, qui * spem in ipsum habent, & in Deum omnipotentem καὶ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων *& omnium opificem* qui ipsum misit, aspernabantur. " † Deus (inquit) omnium Pater adduxit eum de " terra, *& collocavit eum ad dextram suam, donec* " *ponerent inimicos scabellum pedum suorum.* Porro, ‖ hæreticos ait opificem universi, & *Christum* quem ab eo venturum esse prophetæ tradiderunt, & Deum *Abrahæ, Isaaci* & *Jacobi* blasphemare; Ubi Christum manifeste distinguit tam à Deo omnium opifice,

* *Dial.* p. 234.

† *Ibid.* p. 249.

‖ P. 253.

fice, quam à Deo *Abrahæ*, quem eundem cum Deo omnium opifice fuiſſe, *Tryphoni* conceſſerat.

* P. 344. Deniq; * " *per nomen Jeſu* nos Chriſtiani, inquit, " credimus εἰς τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων θεὸν *in Deum rerum omnium opificem.*

Quinetiam hunc Dei Filium inducit cum *Jacobo*

† P. 354. colluctantem ſpecie quidem hominis, † ἐκ τοῦ τῇ τοῦ παλαίειν βουλῇ ὑπηρετεῖν *quod Patris conſilio inſerviret*; *Dei* vero nomine, ἐκ τοῦ εἶναι τέκνον πρωτότοκον τῶν ὅλων κτισμάτων *eo quod eſſet Filius primogenitus omnium creaturarum*; ille, qui dicitur apparuiſſe

‖ P. 356. *Abrahamo* ‖ ὑπὸ τοῦ πατρὶ, καὶ κυρίῳ τεταγμένος, καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτοῦ, *ſub Patre & Domino conſtitutus, & ejus voluntati inſerviens*; *Abraham*, inquit, *non vidit Patrem, & ineffabilem Dominum rerum*

* P. 357. *omnium*, * καὶ αὐτὸν τὸν Χριστὸν *& Chriſti ipſius*, ἀλλ' ἐκεῖνον κατὰ βουλὴν τὴν ἐκείνου, καὶ θεὸν ὄντα, υἱὸν αὐτοῦ, *ſed illum qui ex voluntate ipſius, & Deus eſt, & Filius*

† P. 358. *ipſius*. Et rurſus: † *Dominus in cœlis, Domini in terris apparentis & Pater, & Deus eſt*, αἴτιον αὐτὸν τοῦ εἶναι καὶ δυνατὸν, καὶ κύριον, καὶ θεὸν & *cauſa quod ipſe ſit & potens, & Dominus, & Deus.*

‖ *Dial.* p. 228. 2°. *Per Chriſtum crucifixum*, inquit, ‖ *nos Deo addicti ſumus*, * *ejuſq; vibicibus nobis ſanitas* facta

* P. 234. eſt, † τοῖς δι' αὐτοῦ ὄντι † πατέρα προσχωροῦσιν *qui per*

† P. 247. *ipſum ad Patrem accedimus, per illum ad Patrem ſu-*

‖ P. 261, 265. *mus converſi*, ‖ διὰ τοῦτο προσχωρήσαντες τῷ θεῷ, *per ipſum Deo accedentes.* Et *quod Deus nos reſuſci-*

* P. 280. *tabit per ipſum*, * per hunc Patri omnium inſervientem, judicium parens rerum omnium peracturus eſt. Et διὰ τοῦ Χριστοῦ *per Chriſtum, Chriſtiani ſeipſos ingenito Deo conſecrarunt.* Apol. 2. p. 85.

3°. Spem in Deo ſolo, exemplo Filij Dei, ponunt

† P. 328. Chriſtiani. Hæc enim *Pſalmiſtæ* verba, † *Patres noſtri in te ſperarunt*, vult non tantùm Patres reſpicere ex quibus ortus eſt Chriſtus, ſed quod ipſe Chriſtus iſta dixerit, καὶ αὐτὸς σωθήσεσθαι ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ θεοῦ μηνύων, *& ipſum ſalvum fore per eundem Deum ſignificans,*

nificans; ἀλλ' ὐ τῇ ἀυτῦ ϛυλῇ, ἢ ἰσχῖ πεπίτθειν τὶ καυχώμενός, *neq; jactavit ſe quicquam facere ſui ipſius conſilio, aut robore*; & *cum in terra fuerit, idem fecit*; * *nam & cuidam dicenti ei, Magiſter bone,* * P. 329. reſpondet, *Quid me vocas bonum? unus bonus eſt, Pater meus qui eſt in cœlis.* Et rurſus, *Nam ſi Filium Dei dicere apparet, ſe neq; ſalvari poſſe quia Filius, aut quia fortis, aut ſapiens eſſet*; " ſed, licet " à peccato immunis fuerit, agnoſcit ἄνευ τῦ θεῦ σωθήσεδαι μὴ δύνασδαι *abſq; Deo ſalvari ſe non poſſe*: *Quomodo vos* (Judæi) *aut alij etiam ſalutem citra hujuſmodi ſpem expectantes, non exiſtimemini voſmet ipſos ſeducere*, p. 330.

VI. Qui ergo non eſt Opifex omnium, nec ex propria ejus virtute & poteſtate ea facit, quæ fecit; ſed tantum eſt prima virtus poſt Deum primum, omnium Patrem, & Dominum, qui etiam virtute à Patre derivata, ſibiq; juxta voluntatem & conſilium ejus conceſſa, omnia agit, & quæcunq; habet, à Patre habet; eum à Deo primo, omniumq; rerum Opifice, poteſtate, virtute, adeoq; eſſentia diſtinctum eſſe neceſſe eſt. Qui pariter nec propria virtute, nec voluntate, ſe quicquam unquam feciſſe confitetur, nec ſalvari ſine Dei ope, ob propriam virtutem, ſapientiam, aut Filij dignitatem potuit; qui à Deo Abrahami, *ultra quem Deus alius non eſt*, manifeſto diſtinguitur, & ſeipſum bonum dici vetuit, quia *unus bonus eſt, nempe Pater ejus qui eſt in cœlis*; qui Dei nomine appellatur, non ob eandem eſſentiam Patris ipſi communicatam, ſed quia Filius primogenitus eſſet omnium creaturarum, ſub Patre & Domino conſtitutus, ejuſq; voluntati inſerviens; qui juxta Patris voluntatem Deus eſt, quia Filius: eum, ex *Juſtini* ſententia, non perſonalitate tantum, ſed etiam eſſentia diverſum eſſe ab eo qui Pater Dominuſq; ineffabilis eſt rerum omnium & *ipſius Chriſti*, Dominiq; in terris apparentis *Dominus*, & *cauſa* ob quam & potens,

tens, & Dominus, & Deus eſt; res ipſa flagitat.

VII. Pergimus jam ad *Grabij* ſecundum locum, qui ſic ſe habet: " Eſto quod Deus & Angelus in viſio-
* P. 283. " ne *Moſi* oblata fuerint, * ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἔφη
" θεὸς ὁ τῷ Μωσεῖ εἰπὼν αὐτὸν εἶναι θεὸν Ἀβραὰμ, &c. *non*
tamen is Deus conditor rerum omnium erit, qui Moſi
dixit, Ego ſum Deus Abrahæ, Iſaaci & Jacobi;
" ſed is quem oſtenſum eſt apparuiſſe *Abrahamo*
" & *Jacobo*, qui fuit Factoris omnium τῇ θελήσει
" ὑπηρετῶν *voluntati miniſtrans*, & qui in judicio
" *Sodomitarum* ejus conſilio fuit pariter inſerviens.
" Nemo enim cui vel minimum mentis ſit, Auctorem & parentem rerum omnium ſupercœleſtia
" omnia reliquiſſe, & in puſilla terræ parte ſe exhibuiſſe, dicere ſit auſurus.

Ubi notandum eſt, 1°. *Juſtinum* in priori loco neutiquam dixiſſe alium Deum non fuiſſe præter eum qui *Moſi* apparuit, & qui *Abrahæ* viſus eſt; (hunc enim alium fuiſſe Deum ab omnium rerum Opifice multis contendit, & ſe probaſſe aſſerit;) ſed tantum non alium fuiſſe præter Deum *Abrahæ*, quem eundem eſſe omnium Opificem omnino voluit.

Obſervandum 2^do^. *Juſtinum* perſpicuis verbis docere, *Prophetarum* verba, cum † ὡς ἀπὸ προσώπου *tan-*
† *Apol.* p. 76. *quam à perſona* dicta ſunt, non ab ipſis *Prophetis*, ſed à *ſermone divino*, quem alibi Chriſtum appellat, dici: qui quidem aliquando ὡς ἀπὸ προσώπου τοῦ Δεσπότου πάντων, καὶ πατρὸς θεοῦ φθέγγεται, *tanquam in perſona Domini omnium & Dei Patris loquitur*, quandoq; ὡς ἀπὸ προσώπου τοῦ Χριστοῦ *tanquam in perſona Chriſti*; aliàs vero in perſona populi reſpondentis τῷ Κυρίῳ ἢ τῷ πατρὶ αὐτοῦ *Domino aut Patri ejus*. Cum igitur qui juxta *Juſtinum* hic loquitur, non eſt Opifex rerum omnium, ſed Deus qui etiam Angelus vocatur, ex *eo quod res Patris, & omnium factoris, qui nunquam per ſeipſum* loquitur, *mortalibus annuntiat*; perſpicuum eſt eundem hic non in perſona propria,

ſed

sed in persona Dei Patris, & Domini omnium, dixisse, *Ego sum Deus Abrahæ* &c. Atq; his observationibus non tantum *Grabij*, sed & *Præsulis* Cl. tertio argumento plenum & perspicuum responsum dedimus.

VIII. Operæ tamen pretium erit rem altius, & ab ipsa origine repetere, ut pateat omnium oculis, quibus judicium est, quo sensu * *Justinus* docuit Filium Dei ἕτερον εἶναι τοῦ Deum esse alterum ab omnium rerum Opifice, supra quem alius Deus non est. Quærit igitur Trypho, quomodo *Justinus* demonstrare potuisset † ὅτι ἔστι ἄλλος θεὸς παρὰ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων quod alius Deus sit præter rerum omnium Opificem. Eandemq; rem paulo post repetit dicendo, "Demonstra nobis à Spiritu prophetico promulgatum esse ὅτι ἔστι ἕτερος & alterum esse Deum præter Opificem Universi: Addita hac cautione, ne uteretur exemplo solis, & lunæ, "Quos, inquit, Deus gentibus concessit, ut tanquam Deos adorarent"; aut de Dijs gentium loqueretur, quorum respectu is qui revera Deus, & solus omnium Opifex & Dominus est, *Deus Deorum, & Dominus Dominorum* à *Prophetis* appellatur. Est autem certum *Tryphonem* de Metaphysico hoc personarum discrimine ne per somnium quidem cogitasse. Promittit autem *Justinus* se, missis hujusmodi exemplis, ea ex S. *Scripturis* documenta ad id quod *Trypho* flagitabat, adducturum esse, contra quæ dicere nemo potuit, & quæ, audita cum essent, nulla explicatione indigerent: Id verò nisi juxta *Tryphonis* mentem præstitisset, non tam ei respondisse, quam turpiter illusisse dicendus esset. Est tamen certum, hoc ex *Justino* adeo manifesto demonstratum fuisse, ut ingenua & repetita confessione ‖ *Trypho* profiteretur, ex S. *Scripturis* *Justinum* ostendisse, Deum qui è rubo *Mosen* compellavit, ὁ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων *non Deum omnium Opificem* intelligendum esse, sed eum qui *Abrahæ* & *Isaaco* & *Jacobo* manifestatus est. Quod

* *Dial.* p. 269.

† P. 274.

‖ P. 279, 283.

certe præſtitum *Trypho* nequaquam agnoviſſet, ſi alter ille Deus, de quo *Juſtinus*, intelligendus erat non eſſentia, ſed perſonalitate tantum à ſummo omnium Opifice differre; cum hujuſmodi diſtinctionem *Tryphoni* cognitam fuiſſe parum ſit credibile.

IX. Quod ut clarius eluceſcat, *Juſtini* argumenta inſpiciamus. *Moſes*, inquit ille, indicat viſum *Abrahamo* ad ſaltum *Mambræ* Deum, cum duobus illis ad judicium Sodomitarum miſſis Angelis, [f] ab alio legatum fuiſſe, qui in ſupercœleſtibus ſemper manet, nec cuipiam viſus unquam, nec per ſe cum quopiam collocutus, quem intelligimus ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα *rerum omnium Opificem, & Patrem.* *Tryphoni* autem dicenti, verba allegata minimè probare alium quempiam Deum vel Dominum eſſe aut dici à Spiritu Sancto, præter rerum omnium conditorem, reſpondet *Juſtinus*; perſuadere vobis conabor ſcripturas ſcientibus, ὅτι ἔστι, καὶ λέγεται θεὸς καὶ κύριος ἕτερος, ὑπὸ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, *quod eſt, & dicitur Deus & Dominus alter præter factorem omnium*; qui & Angelus vocatur, eo quod annuntiat hominibus ea quæ annuntiari eis vult ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς *omnium Opifex, ſupra quem alius Deus non eſt.* * P. 276. Et rurſus; * Perſuadere vobis conabor, quod ille Deus qui *Abrahæ*, & *Jacobo*, & *Moſæ* apparuit, ἕτερός ἐστι *alius eſt ab eo qui cuncta creavit Deo.* Alius juxta *Juſtinum* ἀριθμῷ, οὐ γνώμῃ, *numero, non voluntate*, aut conſilio; nihil enim unquam fecit, niſi quod facere & dicere eum voluit ὁ τὸν κόσμον ποιήσας *is qui mundum fecit, ſupra quem alius Deus non eſt.* Hoc autem argumentis hiſce probat.

1°. Quod *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur & ignem à Domino de cælo*; unde, *Judæo* adſtipulante, monſtrat, præter eum qui viſus eſt *Abrahæ*, alium Deum fuiſſe, p. 279.

---

[f] Ὑπὸ ἄλλου τοῦ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἀεὶ μένοντος, καὶ οὐδενὶ ὀφθέντος, οὐ ὁμιλήσαντός τινι. Dial. p. 275. A, B, C.

2°. Idem

2°. Idem probat ex his verbis Pſalmiſtæ: * *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum:* & ex his ejuſdem Pſalmiſtæ; *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ ultra participes tuos.* Unde conſtat, ex mente *Juſtini*, alium Dominum ab eo qui ſedet à dextris ſuis, eſſe illum ad cujus dextram ſedet; aliumq; eſſe Deum qui unxit, à Deo qui ab eo unctus fuerit. Quinetiam ex verbis, † *Pluit Dominus à Domino de cœlis*, probat, unum in terris qui Deus & Dominus appellatur, ei qui in cœlo eſt miniſtraſſe, & à Domino in cœlis, ſive rerum omnium parente, poteſtatem accepiſſe, ut pœnam hanc *Sodomitis* infligeret. Iterumq;, *Moſes* ſcriptum reliquit, hunc Patriarchis conſpectum Deum, etiam *Angelum* & Dominum nominari, ut inde cognoſcatis eum ὑπηρετῆσαι τῷ πατρὶ τῶν ὅλων παντὶ *rerum omnium Patri miniſtrum eſſe*, immo miniſtrum eſſe Deo ſupramundano, ſuper quem alius Deus non eſt.

* *Ibid.* p. 274.

† P. 280, 284.

3°. Idem demonſtrat ex his verbis, "*Ecce Adam* "*factus eſt quaſi unus ex nobis*; ubi, inquit, & "numerum colloquentium, & minimum duos in- "dicavit". Quæ omnia cum dixiſſet, ſermonem ſic claudit. ‖ "Quod enim *Jeſus* fuerit qui *Moſi*, "& *Abrahæ*, & alijs Sanctis *Patriarchis* omnibus "apparuit, & cum eis colloquutus eſt, τῷ τοῦ παντὸς "θελήματι ὑπηρετοῦντι *Patris voluntati miniſtrans*, de- "monſtravi". Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, Deum qui *Abrahæ*, *Iſaaco* & *Jacobo* apparuit, & qui *Moſi* dixit, *Ego ſum Deus Abrahæ*, &c. alterum fuiſſe à Deo *Abrahæ*; *Moſiq;* locutum eſſe non ἐξ ἑαυτοῦ in propria, ſed in Dei omnium rerum Opificis *perſona*, qui per ſeipſum nemini loquebatur; eundemq; ſub Deo alio conſtitutum; ejuſq; ſupra quem alius Deus non eſt, miniſtrum fuiſſe. Adeoq; eſt, juxta *Juſtini* ſententiam, Deus alter à Deo omnium Opifice; alter nimirum ἀριθμῷ,

* P. 285.

‖ P. 340.

ἀριθμῷ, *numero, non autem consilio.* Quod si *Justinus* reipsa existimasset eum eandem numero essentiam cum Deo omnium Opifice habuisse, cur non illum unum, etsi non numero, essentia tamen, æq; ac voluntate & consilio declaravit? De altero dum sollicite cavet, ne consilio & voluntate diversos esse putemus; de unitate essentiæ, quod maximi sane momenti fuit, ne γρ. quidem. Quorsum hoc, nisi quod de essentiâ nihil resciret, nec de unitate ista quicquam cogitaret, nedum crederet? Hæc clarè indicant, ex *Justini* sententia, eum non tantum essentia, sed etiam voluntate non diversum quidem, aut contrarium, sed tamen alium fuisse, utpote qui juxta alterius voluntatem omnia egit, & loquutus est.

X. His adde duo quæ assensum non tam postulant, quam extorquent: (1°.) Quod ea quæ latius deduxerat, in compendium redigens, & summatim recolligens, hæc addit: "* Quando dicit Legislator, "ascendit Deus ab *Abrahamo*, aut loquutus est Dominus ad *Mosen*, & descendit Dominus ad videndam turrim, aut clausit Deus Arcam *Noæ* "forinsecus, non debetis existimare ipsum ingenitum Deum vel ascendisse, vel descendisse; ὁ γὰρ "ἄῤῥητος πατὴρ, καὶ κύριος τῶν πάντων, *Deus enim ineffabilis, & Dominus omnium* nec venit in locum "aliquem, neq; deambulat, sed in loco suo manet. Quonam igitur modo ille ἢ, ἀλλοτε πρός τινα, ἢ ὁρᾶσθαι τινί, ἢ ἐν ἐλαχίστῳ μέρει τῆς γῆς φαίνειν, *aut quempiam alloqueretur, aut cuipiam sit visus, aut in minima terræ parte appareret?* "quando nec intueri "potuit populus in *Sina* gloriam τοῦ παρ' αὐτοῦ πρε"σβυτοῦ ejus qui ab eo missus est. Si ad hanc mo"dum, inquit, *S. Scripturas* non intellexerimus, "eveniet quod *Pater & Dominus omnium in cœlis* "*minime tunc fuisset.* Quinetiam verba hæc repetens, † *Pluit Dominus ignem à Domino de cœlo*, notat "verbum propheticum indicare ὡς ἕτερος ἀπὸ ἑτέρου

* P. 356, 357.

† P. 358, 359.

"duos

" duos numero esse, hunc quidem in terris existen-
" tem, quem descendisse ait ad clamorem *Sodomi-*
" *tarum* inspiciendum; alterum vero in cœlis ὃς καὶ
" τῶν ἐπὶ γῆς Κυρίου Κύριός ἐστι, *qui Domini in terris Dominus est, utpote qui Pater, & Deus est, & causa quod ipse & sit, & potens, & Dominus & Deus sit.* Ex quibus omnibus concludit, sermonem propheticum declarare tum germen hoc à Patre esse ante omnes creaturas editum, καὶ τὸ γενόμενον, τῶν γεννώντων ἀριθμῷ ἕτερον εἶναι, *tum quod genitum, à generante numero diversum esset.* Quæ nisi Filium Dei, alium reipsa à Patre, ex *Justini* sententia, constituunt; frustra de Patrum mente disceptamus, eamve ex illorum verbis colligi posse speramus.

2°. Nec minus clarè mentem suam de hac re *Justinus* indicat * *Apologiâ* secundâ prope finem; ubi recitatis his verbis, *Et loquutus est Angelus Dei cum Mose in igne flammæ è rubo, & dixit, Ego sum existens ille Deus Abraam, Deus Isaac, & Deus Jacob*; hæc, inquit, dum *Judæi* dixisse existimant τὸν πατέρα τῶν ὅλων, καὶ ποιητὴν, *Patrem omnium, & conditorem*, eos *Spiritus propheticus* reprehendendo dicit, *Israel me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Et rursus: Itaq; *Judæi* existimantes semper parentem rerum cunctarum cum *Mose* loquutum esse, τῷ λαλήσαντι αὐτῷ ὄντι υἱῷ τοῦ θεοῦ *cum is qui cum eo loquebatur, Filius Dei esset*, qui & *Angelus*, & *Apostolus* nominatus est; recte à *propheticò Spiritu* redarguuntur, quod nec Patrem, nec Filium noverint. *Qui enim eum Patrem esse dicunt, qui Filius est, deprehenduntur nec Patrem nosse, neq; Patri omnium Filium esse*, ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ θεοῦ, καὶ θεὸς ὑπάρχει, *qui quoniam verbum primogenitum Dei est, & Deus est.* Ecquis vero sanæ mentis existimare potest *Judæos* tam ab *Isaia* quam à *Christo* reprehensos, quod non conceperint Filium cum Patre eandem numero essentiam habere, personalitate

* P. 96.

diſtinctam; nec Filium à Patre modo adeo ſubtili, & metaphyſico diſtinxerint? Sequitur igitur, ijs hoc revera opprobrij loco ductum fuiſſe, quod non agnoſcerent Dei Filium à rerum omnium parente numero & eſſentia revera alium, Deumq; ideo fuiſſe, quod eſſet omnium creaturarum primogenitus.

XI. In reliquis *Præſulis Cl.* argumentis excutiendis non eſt quod multum laboremus. Quod ergo Chriſtus ſignanter & propriè Dei Filius à Deo genitus, ſenſuq; *Juſtini* ἐξ ἀυτῦ ex ipſo genitus indigitetur, lubens agnoſco. Mirum vero eſt *Præſulem Cl.* Chriſtum cum Patre ὁμοούσιον fuiſſe ex ijs verbis contendere, quæ Chriſtum ſignanter Dei Filium & ex Deo genitum enuntiant, cum hæc *Juſtino* cum *ſemi-Arianis*, & univerſis *Trinitatem* ἀνομοίαν ſtatuentibus, communia ſunt. Porro, hoc Argumento Chriſtum Deum natura primum, aut proprie ſic dictum neutiquam probari, teſtis idoneus eſt ipſe * *Juſtinus*. " Non enim, inquit, deſtrui-

* *Dial. p. 267.*

" tur aſſertio noſtra hunc eſſe Chriſtum Dei, etſi " demonſtrare non potuiſſem, quod ille præ-exti- " terit Opificis rerum omnium Filius, θεὸς ὤν, & " homo genitus eſſet ex Virgine; ex omnibus vero " quæ demonſtravimus, ſequitur ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν ὁ χριστὸς τῦ θεῦ, ὅστις ἔστ☉ ἔσται, *quod ille eſt Chriſtus Dei*, Luc. 9. 20. (ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τῦ θεῦ, Joh. 20. 31.) *quiſquis ipſe fuerit*. " Sin autem non demonſtraverim quod " præ-extiterit, & poſtea factus ſit homo, juſtum " eſt in hoc tantum dicere me errâſſe, ἀλλὰ μὴ ἀρνεῖσθαι ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν ὁ χριστὸς " *non autem negare quod ille* " *Chriſtus eſt* †. Sunt enim quidam ἀπὸ τῦ ἡμετέρου

† *Ibid. Lit. D.*

" γένους *ex nobis Chriſtianis*, qui confitentur ipſum " Chriſtum eſſe, hominem vero ex hominibus " genitum eundem affirmant. *Et rurſus*: Filius " Dei Jeſus Chriſtus, etiamſi communi aliorum " more homo tantum eſſet, propter ſapientiam ta- " men digne Dei Filius diceretur; omnes enim " ſcriptores, Patrem, *virûmq; Deûmq;* Deum vo- " cant. Apol. 2. p. 67. Nuſ-

Nusquam *Justinus M.* ullo opere genuino Christum *ejusdem cum Patre essentiæ* Deum nuncupat, aut eandem Patris essentiam eidem communicatam esse docuit; sed eum Deum esse prædicat, eo quod Θεοῦ δυνάμει, καὶ βουλῇ, *Dei potestate & consilio sit genitus*, non interiori quadam generatione intellectum omnem fugiente, sed exteriore qua Deus numero alter à generante constituitur, sub Deo omnium Opifice constitutus, eidemq; ministrans, & voluntate cum Deo omnium parente in omnibus consentiens; Quod suprà luce clarius demonstravimus, & ab omnibus *Grabij*, & *Præsulis* Cl. strophis vindicavimus. Esto igitur quod *Justinus* Dialogo cum *Tryphone*, p. 284. asserat, Patrem genuisse ἄλλον τοιοῦτον *alium talem* (prout suggerit mihi amicus ad invidiam doctus, & in conjecturis admodum felix;) alius tamen est non tantum personalitate, sed essentia, alius ἀριθμῷ *numero*, p. 285. alius qui τῷ πατρικῷ βουλήματι ὑπηρετεῖ *Patris consilio ministrat*; alius deniq; eo modo, quo ignis ab alio igne accensus est; id enim ἄλλο-γενόμενον *aliud cum sit factum*, aliam numero essentiam necessario constituit, & de una eademq; numero essentia & voluntate dici non potest. Hisadde,

1°. Quod hunc Dei Filium *summe principem & justum* μετὰ τὸν γεννήσαντα θεὸν *post Deum qui eum genuit*, & τὴν μετὰ πρῶτον θεὸν δύναμιν *virtutem post primum Deum indigitat*; quam à Patre datam, concessam, derivatam esse docet; quem deniq; Deum & Dei Filium κατὰ βουλὴν *juxta consilium* Dei Patris esse dicit. Nec robur aliquod *Præsulis* argumento accedit ex eo, quod, *Grabio* notante, Deus dicitur hunc Filium * ἐξ ἑαυτοῦ γεγεννηκέναι *ex seipso generasse*: Non enim dicit hunc Filium interiore generatione, nescio qua, ab eo editum; sed quod extra ipsum progrediendo, † ἀπὸ τῆς πατρὸς προελθὼν καὶ προβαλλόμενος *à Patre progrediens & prolatus* genitus sit, eo generationis modo quo sermo à nobis prolatus est, & quo à generante ἀριθμῷ ἕτερος *numero*

* *Dial.* p. 284,

† P. 357, 359.

* P. 327. ro diversus est; non ex ejus essentia, sed * δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ *ab ejusdem potestate & voluntate* ortum suum recipiens, *qui est Deus omnium, & ipsius Christi.*

XIII. Nec minus mirandum est *Præsulem Cl.* τὸ ὁμοούσιον collegisse ex similitudine ignis ab igne accensi, quam † duobus in locis adhibet *Justinus.* Ut enim ignis ab igne accensus est numero diversus, ne dicam divisus, ab illo igne à quo accenditur; ita *Justinus* in utroq; loco clare demonstrat, hunc Dei Filium alium ab omnium Opifice numero fuisse. Dicit enim, p. 284. *Primitus ante Creaturas omnes, Deum ex se genuisse virtutem quandam rationalem*; & p. 285, ἀριθμῷ ὄντα ἕτερον, λογικὸν ὑπάρχοντα, *rationalem existentem, & numero alterum* (à Deo supermundano absq; dubio.)

† P. 284, 358.

2do. "Quale, inquit, & in nobis factum vide-
"mus, verbum aliquod proferentibus, ὃ κατ' ἀποτομὴν
"*non per abscissionem* prolatum, ita ut nostram lo-
"quendi facultatem quicquam minuat; sed tamen
"sermo quem proferimus, à nobis exit, & προβάλλε-
"ται *projicitur.* Secundo in loco disertim asserit se multis & perspicuis testimonijs probasse virtutem hanc, quam sermo propheticus Deum vocat, non nomine tantum numerari, ἀλλὰ καὶ ἀριθμῷ ἕτερόν τινα εἶναι, sed *numero à generante aliud quiddam esse.* Ex quibus evidens est similitudine hac τὸ ὁμοούσιον non stabiliri, sed destrui, quatenus eadem numero substantia vel essentia intelligitur. Quod autem his addit *Justinus*, à Patre generari virtutem hanc ὃ κατ' ἀποτομὴν, ὡς ἀπομερίζομένης τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, *non per abscissionem, ac si Patris essentia divisa esset*, non ideo dicit quod verbum hoc essentiæ Patris communicatione generatum esse voluerit, aut eum † à Patre generando non exiisse censuerit; dicit enim disserte, virtutem hanc à Patre generatam esse (non essentiæ communicatione sed) *potestate & consilio ipsius*, prout verbum à nobis prolatum est ὃ κατ' ἀποτομὴν

τομὴν *non per abscissionem*, quod tamen à nobis exire manifestum est. Porro, hoc fieri dicit eodem modo quo nos λόγον σπείροντες, λόγον γεννῶμεν, *sermonem, seu verbum emittentes, verbum gignimus*, & κατὰ ἀποτομὴν *non per abscissionem*, ita ut sermonem emittendo diminuatur sermo, i. e. λόγου δύναμις *loquendi facultas* quæ in nobis est; Certum tamen est sermonem è nobis emissum alium numero esse à sermone sive loquendi facultate in nobis insita. Hæc ultra explicat exemplo ignis ab alio igne accensi, qui alium numero ignem constituit. Rem deniq; extra dubium ponit dicendo ", virtutem hanc à * *Dial.* " Patre genitam, non sicut solis lumen aliud nomi- *p.* 358. " ne tantum numerari, ἀλλὰ τῷ ἀριθμῷ ἕτερον εἶναι " *sed etiam numero aliud esse*; confitebitur enim " quivis † τὸ γεννώμενον τοῦ γεννῶντος ἀριθμῷ ἕτερον † *P.* 359. " εἶναι, *id quod genitum est, à generante aliud* " *numero esse*. Hoc igitur solum intendit, Patris virtutem & rationem hac generatione non minui. Ut enim, inquit, ignis unus ab alio igne accenditur, non diminuto illo à quo accenditur, sed in eodem statu manente; ita virtus & ratio Dei Patris non diminuitur ex eo quod virtutem hanc rationalem ante creaturas omnes ex seipso generarit. Quod ei cum omnibus fere ejusdem sæculi Patribus commune est.

Quod deniq; *Præsul Cl.* contendit, *Justinum* asserere Filium esse à Patre ab æterno genitum; *Huetium* id merito negasse, ex multis quæ antea disputavimus, conspicuum est. 1°. Quod statuat Patrem solum esse qui sit ὁ ἀεὶ ὤν, γένεσιν δὲ μὴ ἔχων, p. 20. unde patet ex *Justini* sententiâ ἀεὶ εἶναι, & γένεσιν ἔχειν, *semper esse, & genitum esse*, esse ἀσύγκριτα; adeoq; qui est semper, juxta illum, non est genitus; qui contra genitus est, non est semper; quod plane æternam quandam sive ab æterno generationem Filio abjudicare videatur. 2do. Quia Filio tribuit tantum secundam post Deum virtutem, eamq; XIV.

non

non à Patris essentia, sed potestate & consilio datam & derivatam.

Levia sunt quæ ex adverso profert *Præsul Cl.* ex *Martyris* hujus Apologia prima; Ibi enim non dicit Filium Christum dici eo quod ab æterno sit genitus, aut Patri semper coexisteret, sed tantum quoniam *ante creaturas existens erat, & genitus*; quod *Ariani* facile concedunt. Nec his robur accedit de loco ex ejusdem paræneſi citato: Ibi enim non dicit absolute Deum Patrem, *Mosi* apparuisse; sed tantum ὡς ἐν δυνατὸν ἀνθρώπῳ φανῆναι θεὸν *in quantum possibile est homini apparere Deum.* In *Dialogo* autem cum *Tryphone* multis contendit, Deum Patrem nemini unquam visum fuisse, nec cum quopiam, *per seipsum*, loquutum esse; sed hæc omnia præstitisse per Filium in Patris persona loquentem; adeoq; ejus nomine dicentem, *Ego sum existens.* Immo videntur duo hæc loca invicem collata, æternitati Filij Dei repugnare; est enim in priori loco * *Filius ante creaturas* γενόμενος & *genitus*; est autem in posteriori Deus Pater † μόνος ἀεὶ ὢν *solus semper existens*, ut supra observatum est. Idemq; dicit Apologiâ vulgo secundâ p. 63, his verbis: "In hoc "nobis insaniam objiciunt Ethnici, quod post "ἀγέννητον, καὶ ἀεὶ ὄντα θεὸν, *ingenitum & semper exi-* "*stentem Deum*, secundum locum concedimus "homini cruci affixo.

* P. 44.
† P. 20, 21.

Ad ea quæ ex *Justino* adduximus de ὑποταγῇ, sive ὑπηρεσίᾳ, *subjectione & ministerio* Filij erga Patrem, hoc unum opponit *Præsul. Cl.* quod idem *Justinus* Epistola ad *Diognetum*, Filium Dei ὑπηρέτην esse diserte negat, *ipsum opificem & creatorem omnium* illum *appellans.* Suspectam vero hanc epistolam reddit non modo comptior multo, & nitidior stylus, quam is qui in operibus ejus genuinis invenitur; non tantum silentium *Eusebij*, *Hieronymi*, & *Suidæ*, à quibus inter opera *Justini* non recensetur; sed illud præcipue, quod sibi ipsi &

§. 4. c. 2. p. 445.

Justino

Justino tam in *Apologia*, quam in *Dialogo cum Tryphone* planè contradicit.

Sibi ipsi: Cum enim introduxisset Patrem omnipotentem, παντοκτίσην, invisibilem, è cœlis hominibus mittentem Verbum suum; statim addit, misisse se Opificem, & omnium creatorem: juxta autem Patrum *Antenicæorum* axioma, *alius est qui mittit, alius qui missus est*: &, pagina sequente, ὁ μὲν δεσπότης, καὶ δημιουργὸς τῶν ὅλων μόνος ἀγαθός ἐστιν, *Dominus & Creator omnium* (id est, Pater) *solus bonus* est; *concepit autem mente aliquid magnum & ineffabile, quod* ἐκοινώσατο μόνῳ τῷ παιδὶ *soli Filio communicavit*. In quibus non tantum Creator, & Opifex omnium, quem antea Filium nuncupaverat, à Filio distinguitur, sed mente & cogitatione alius prædicatur; nec enim ἐννοίας alteri communicatio locum habere potest, ubi mens una eademq; est.

Nec minus sententiæ *Justini* in genuinis ejus operibus repugnat: *Apologiæ* enim 2. p. 96. multis contendit, eum qui *Moysi* loquutus est, τῶν ὅλων δημιουργὸν minimè fuisse, sed ejus *Angelum* & *Apostolum*. Ejusdem *Justini Dialogo* in multis haud minus contradicit: Quem enim hujus Epistolæ Author *ministrum* aut *Angelum* esse diserte negat, is in Dialogo isto Patris ὑπηρέτης & *Angelus* decies ad minimum appellatur; quem hic *Opificem* & *omnium Creatorem nuncupat*, is in præfato *Dialogo* ita ἀπὸ τῦ ποιητῦ καὶ δημιουργῦ τῶν ὅλων distinguitur, ut nefas esse dicatur eundem esse τὸν ποιητὴν, καὶ δεσπότην τῶν ὅλων, existimare. Est ergo certum vel hanc Epistolam non esse *Justini* genuinum fœtum, vel verba hæc alienâ manu inserta esse: Textumq; ita legendum esse, demptis intermediis; *non hunc ijs misit*, ὡς ἄν τις λογίσαιτο, ὁπὶ πνεύματι καὶ φόβῳ, &c.

SECT.

Sectio Tertia.

Utrum Theophilus docuerit veram numero esse Patris & Filij essentiam.

1 AD *Theophilum Antiochenum* jam progredimur. Is in dissertationis suæ procemio pronuntiat
* P. 71. * εἶδος τοῦ Θεοῦ ἄῤῥητον καὶ ἀνέκφραστον *Dei speciem nullis verbis enarrandam esse*: εἰ λόγον εἴπω, ἀρχὴν αὐτοῦ λέγω, *sermonem eum si dixero, principium ejus dico.* Si eum dixero σοφίαν *sapientiam*, γέννημα αὐτοῦ λέγω, *Filium ab eo genitum enuntio*; si eum δύναμιν *potestatem* aut *virtutem vocavero*, ἐνέργειαν *operationem ejus prædico.* En quam clarè, verbisq; disertissimis, ea omnia à Deo summo, & juxta *Justinum* & *Tatianum* ἀνωνομάστῳ *nomine carente*, removet, quæ Filio & Spiritui Sancto hujus sæculi Patres adscribunt; & quibus Filij naturam, & essentiam explicant. Ad hæc, hunc Deum
† P. 76, 77. † τὸν ὄντα Θεὸν, καὶ ἀληθῆ, *qui vere, & verus Deus est*, solum adorandum pronuntiat. Ut enim *Cæsar*, sive *Rex* neminem subditorum *Regem* aut *Cæsarem* appellari permittet, eo quod Regium aut *Cæsareum* nomen ipsi soli competit, οὕτως οὐδὲ προσκυνεῖσθαι, ἀλλ' ἢ μόνῳ Θεῷ, *ita nemini, nisi soli Deo, adorationis cultus tribuendus est.* Hunc iterum τὸν τῷ ὄντι Θεὸν nuncupat, p. 89, & p. 110. τὸν ὄντως Θεὸν *verè Deum*, καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων *& omnium Opificem*, quem oportet nos colere in sanctitate cordis, & sincero animo. Ita, inquit,
‖ P. 111. p. 76, 77. ‖ περὶ μοναρχίας Θεοῦ *de summo unius Dei Regimine* loquitur *Moses*, dicendo, *is Deus vester est, qui firmavit cælum, & creavit terram*; Et, cum similia loca juxta *Athenagoram* ex *Isaia* & *Jeremia* produxisset, " ex his, inquit, videre est, quam conso-
" na voce, & velut uno eodemq; Spiritu locuti
" sunt

" ſunt omnes *Prophetæ* * περὶ μοναρχίας θεοῦ *de unius* * *Ibid.*
Dei ſummo imperio, ſive *unitate* Dei, & de creatione Mundi; ad quam ex *Theophili* ſententia explicandam jam accedimus.

Ea autem ad hunc modum ſe habet. Deus ingenitus, habens † λόγον ἐνδιάθετον *ſermonem*, ſive rationem ſuam, *inſitum* in viſceribus ſuis, eundem genuit, eructans ipſum, ante univerſi fabricationem cum ſua ſapientia. Sermonem hunc habens ‖ ὑπηρέτην ὅτε ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα *ſibi miniſtrantem in iis quæ ab ipſo facta ſunt, & per ipſum fecit omnia.* Alius autem eſt Deus *rerum omnium Opifex*, ab eo cujus miniſterio & operâ fecit omnia. Reliqua quæ *Theophili* ſententiam clarius explicant, eamq; a fidei *Nicænæ* placitis alienam plane oſtendunt, ex iis quæ *Præſulis Cl.* argumentis reſpondendo producemus, petenda ſunt. II. † *P. 88.* ‖ *Ibid.*

Primo igitur, *Theophilus*, inquit, catholicam doctrinam egregie confirmat his verbis: θεὸς ὢν ὁ λόγος, ᾧ ἐκ θεοῦ πρωτῶς, i. e. *Deus exiſtens ſermo, utpote à Deo genitus*; quibus in verbis Filium eſſe " Deum inde colligit, quod ex ipſo Deo natus ſit, " ſcilicet juxta regulam quam alicubi ex *Irenæo* " commemoravi, τὸ ἐκ θεοῦ γεννηθὲν θεός ἐστι, *quod* " *ex Deo genitum eſt, Deus eſt*". Quæ quidem, ut id obiter dicam, non eſt *Irenæi*, ſed *Valentinianorum* regula, apud *Irenæum*, l. 1. p. 39. III.

2°. " Idem paulo ante monuerat, per Filium " Dei omnino intelligendum τὸν λόγον τὸν ὄντα διὰ " παντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ θεοῦ *verbum perpetuo inſi-* " *tum ſive exiſtens in corde Dei*, manifeſte ſignificans Filium in ipſa Dei Patris eſſentia æternum " ſubſiſtere.

Reſp. Hæc omnia integram ſuam vim debent duabus minutulis ſententiis, ex longa orationis ſerie deſalcatis; & interpretationi τῷ ᾧ per *utpote*, in qua vis tota Argumenti primi conſiſtit. Non enim colligit *Theophilus* Deum eſſe Chriſtum, quod ex

Deo natus sit, sed ex Apostoli verbis immediate præcedentibus, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat sermo*; quod ex particula illativa ἂν manifestum est; * P. 100. * θεὸς ἂν ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ θεοῦ πεφυκὼς, *Deus ergo cum sermo fuerit, & ex Deo natus*, mittit eum Pater omnium, quando voluerit. Oratio autem integra simul sumpta, *Præsulis* Hypothesin, & sententiam funditus evertit. Occurrit enim hic *Theophilus* objectioni ex verborum ejus ἐναντοφανείᾳ desumptæ, utpote qui prius, nempe p. 71ma. asseruerat *Deum ingenitum in loco non comprehendi*, nunc autem dicit eum in *Paradiso* ambulasse, & cum *Adamo* & *Eva* collocutum esse: Respondet *Theophilus*, se minime de eodem Deo utrobiq; locutum esse, sed in primo de Deo universorum Patre, qui nec in loco invenitur, ὁ γὰρ τόπος ἔστι τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ, Isa. 66. 1. *nec enim locus est ubi quiescat*, ut prius dixerat: Hoc autem in loco, de Dei Filio, qui Deus cum sit, & à Patre natus, *universorum Deus* quando vult, eum mittit in locum aliquem, qui illuc adveniens, auditur, & videtur, ab eo missus, & in loco reperitur. Hic, inquit, venit in Paradisum ἐν προσώπῳ θεοῦ, & assumens πρόσωπον τοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου τῶν ὅλων, *personam Patris, & Domini rerum omnium*, colloquebatur cum *Adamo*. En quam clare, & quam multis Deus ille ingenitus, quem paginâ 71ma. copiosè *Theophilus* depinxerat, distinguitur ab illo quem hic Dei Filium & Deum nuncupat. Unus est parens & Dominus rerum omnium; alter minister ejus in rebus ab ipso factis. Hic in loco non invenitur, nec in eo δεῖ χωρεῖσθαι *comprehendi debet*; ille vero in locum venit, & in loco invenitur, & in paradiso ambulat. Is scilicet parens omnium, prout vult, mittit Deum à se natum; ille vero ab eo missus abit in locum, secundum mittentis voluntatem. Ille demum invisibilis est, nec per seipsum loquitur; hic vero & videtur, & auditur, & assumens non suam, *sed personam Patris & Domini Univer-*

Universorum, sub persona Dei loquitur cum *Adamo*. Quis jam non videt hunc Dei Filium, & Deum, à Deo omnium Patre & Domino plane distingui, & eidem quodammodo opponi, adeo ut ea omnia negentur de Deo primo & ingenito, & tanquam ejus naturæ adversa proponuntur, quæ Deo secundo, à primo misso, competere dicuntur? *Irenæi* ergo Regulæ interpretamentum damus ex priore & certiore * *Justini* Regula, τὸ γενώμενον τῶ γενῶντι ἀριθμῶ ἕτερόν ἐστι, *is qui genitus est, à gignente numero alter est.* * *Dial. cum Tryph. p.* 359.

Idem necessario dicendum est de *Præsulis* secundo Testimonio; id enim ex medio priorum verborum desumptum est. Si *Præsul* integram *Theophili* sententiam præ oculis Lectoris posuisset, vidisset ipse Sermonem illum, seu potius Rationem, insitum in corde Dei, nondum esse genitum, adeoq; nec Deum fuisse, dum in corde esset. Juxta enim *Præsulis Cl.* versionem † *Deus est, utpote ex Deo genitus*, per generationem scilicet, quâ essentia Patris ex mente *Præsulis* ei communicata est. Ante illam igitur Deus non erat. Porro Patres fere omnes *Ante-Nicæni* statuunt Deum, Filium genuisse, non ex eo quod Sermonem insitum in corde habuit, sed quod juxta *Psalmistæ* verba, ἐξερεύξατο, eum ex utero cordis *eructavit*. Quinetiam πῶς dicit *Theophilus*, quod quando Deus condere omnia voluit, ‖ τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως ‖ *Ibid:* *sermonem hunc genuit prolatum, sive ex se emissum, totius creationis primogenitum.* Hoc, inquit, voluit *Johannes* dicendo, *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum*, significans *quod in principio solus fuit Deus, & in ipso Sermo*; deinde addit, *& Deus erat Sermo.* En quam perspicuè dicit Deum illum qui Sermonem semper in corde ipsius insitum habuit, *solum* nihilominus fuisse, sensu nimirum *Tertulliani, quod extra ipsum nihil, nedum Sermo erat*; postea vero Sermonem illum Deum fuisse, † *P.* 100.

IV.

quando ex Deo fuit genitus, & tum genitum esse quocum Deus colloqueretur, λόγον γεννήσας, & ex illo, τῷ λόγῳ αὐτοῦ διὰ παντὸς ὁμιλῶν, *cum Sermone genito semper colloquens.* * *Petavius* igitur, " Verbum hoc insitum, & in Dei visceribus inclusum " fuisse *dicit*, antequam gigneretur; nondum ergo " Filius dicebatur, sed idem erat ac Pater, nempe " ipsa mens ejus, & sapientia, quam tum demum " protulit, & quodammodo profudit, cum procreandæ rerum Universitatis consilium cepit. " Itaq; præter ἐνδιάθετον λόγον, quæ est ipsa mens " Patris & essentia, λόγος est alter & unicus à " Patre genitus, quem neq; coæternum, neq; ὁμοούσιον, sed minorem putavit *Theophilus*, velut " ὑπηρέτην seu ministrum, qui id habet ut sensibus, " quando ita Pater voluerit, sese subjiciat, ac loco " contineatur, quod quidem summo illi Deo & " Patri non competit: quæ, ut absurda, ita *Justini*, *Athenagoræ*, & *Tatiani* doctrinæ consentanea " sunt, & ex *Platonico* dogmate deprompta.

* *Theol. Dogm. l. 1. c. 3. §. 6.*

† *P. 94.* Quod deniq; dicit *Theophilus* †, tres primos dies Creationis typos fuisse *S. Trinitatis*, Dei sc. Sermonis, & sapientiæ; monstrat quidem *Theophilum*, cum Patribus omnibus, *Trinitatem*, in quam baptizabantur, agnovisse; unius vero & ejusdem essentiæ Filium & Spiritum Sanctum cum Patre fuisse, aut honoris & gloriæ æqualis participes, nequaquam indicat. In his firmandis melius operam suam impendisset *Præsul. Cl.* quam in *Petavij* ἀλεξιφάρμακα refutanda.

V. Porro ex ijs quæ jam disputavimus clarum est, *Theophilum* de æterna Filij generatione non idem cum *Præsule* sensisse. Ut enim ἐκ τῆς ὁμοουσίας necessario sequitur τὸ συναΐδιον *coæternitas*, quod est primæ substantiæ attributum; ita ὁμοουσίῳ sublato, tollitur unà æternitas proprie sic dicta; contra autem τὸ ὁμοούσιον, sive eandem numero essentiam, multa ex *Theophilo* adduximus. His adde quod, juxta *Theophilum*,

philum, in principio ſolus erat Deus, & in ipſo λόγος, & poſtea *Deus* erat *ille* λόγος ex Deo genitus; quod ex Divi *Johannis* verbis colligit, utrum recte, an ſecus, in medio relinquo. Agnoſcit hic *Præſul Cl.* generationem quandam Filio Dei à *Theophilo* tribui, quæ creationem mundi paulo anteceſſit, & quam *nativitatem primam* Filij *Lactantius* appellat; Hanc autem non veram & propriam generationem, ſed figurate & metaphoricωs ſic dictam eſſe contendit; Aliam ergo ex æterno Filij generationem ſibi excogitavit, de qua altum eſt apud Patres primævos ſilentium, & de qua nihil *Theophilus*; Aliud enim eſt Patrem habere hunc Sermonem ſemper in corde, ſapientiam hanc, ſive rationem ſemper ſibi præſentem, quod ἐνδιάθετος σοφία καὶ λογικῷ ſemper competere neceſſe eſt; aliud eundem è corde ſuo eructaſſe, eundemve γεγεννῆσθαι προφορικὸν *genitum eſſe enunciativum ſive votalem*, quod tunc ſolummodo factum eſſe agnoſcit *Præſul Cl.* cum mundum Pater conditurus erat. Oſtendat vero in *Theophilo* Geneſin Verbi hac priorem, qui poteſt. Manifeſtum eſt, inquit *Præſul*, Sermonem in Deo Patre ſemper exiſtentem, fuiſſe λόγον ζῶντα, καὶ ὑφεστῶτα *viventem & ſubſiſtentem*, eo quod dicit λόγον hunc ante prolationem, Dei σύμβουλον *conſiliarium* fuiſſe; ipſa etenim vox σύμβουλος non rem in Deo, ſed *perſonam* clare deſignat: quaſi *Præſulem Cl.* latuiſſet, uſitatius nihil eſſe apud Authores quà ſacros, quà profanos, quam capere conſilium cum corde, cum anima, cum pectore ſuo, cum ſeipſo. Ita *Neh.* 5. 7. ἐβουλεύσατο καρδία μου ἐπ' ἐμοὶ, *conſuluit mecum cor meum.* Pſ. 13. 2. *Quamdiu* θήσομαι βουλὰς ἐν ψυχῇ μου *ponam conſilia in anima mea?* Eccluſ. 37. 7. ἔστι συμβουλεύων εἰς ἑαυτὸν, *eſt qui ſibi ipſi conſiliarius eſt.* Et v. 13. βουλὴν καρδίας σόν *ſtabile ſit conſilium cordis tui*; ubi, notante *Grotio*, hoc modo *comici Latini* ſæpius loquuntur. Addit deniq; *Præſul*, *Theophilum* dicere τὸν λόγον ſemper Deo adfuiſſe; vera autem eſt *Athanaſij* Regula,

gula, τὸ συνυπάρχον, οὐχ ἑαυτῷ, ἀλλ' ἑτέρῳ συνυπάρχει, *omne coexiſtens, non ſibi ipſi, ſed alteri coexiſtit*; quaſi ſapientia, potentia, bonitas, &c. non ſemper cum Deo *coexiſteret*. Nec vero dicit *Theophilus*, Verbum cum Deo fuiſſe, & coextitiſſe; ſed fuiſſe in Deo; quod non *perſonæ*, ſed modi vel rei proprium eſt.

Deniq; *Petavium* acriter ſugillat, & lævam ei mentem tribuit *Præſul Cl.* quod λόγον in *Theophilo* eundem fuiſſe cum Dei mente & ratioue qua λογικὸς nominatur, dicere ſit auſus. Nec tamen verius aliquid, aut certius dici potuit. En verba ſuâ luce *Præſulis* tenebras diſſipantia. Antequam aliquid factum eſſet, * τοῦτον εἶχε σύμβουλον ἑαυτῷ, νοῦν καὶ φρόνησιν ὄντα, *hunc habuit conſiliarium, nimirum mentem ipſius, & prudentiam*, i. e. conſilium cepit cum mente ſua, ſive cum ratione in corde ſuo inſita. Nec minus hoc manifeſtum eſt ex verbis ſequentibus; quod Deus, cum λόγον *ſermonem*, ſive rationem, hunc prolatum genuit, totius creaturæ primogenitum eundem genuit, † ὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, *non ſeipſum rationis vacuum præſtans*, ſive non deſinens eſſe λογικός. Quod clarius exprimit ‖ *Tertullianus* his verbis. " Ante omnia aduſq; Filij gene-
" rationem Deus ſolus erat. Ne tunc quidem ſo-
" lus; habebat enim ſecum quam habebat in ſemet-
" ipſo, rationem ſuam ſcilicet. Rationalis enim
" Deus, & ratio in ipſo priuſquam ſermo, quia
" non ſermocinalis a principio, ſed rationalis Deus
" etiam ante principium. Nam etſi Deus non-
" dum ſermonem ſuum miſerat, proinde eum
" cum ipſa, & in ipſa ratione intra ſeipſum habe-
" bat, tacite cogitando, & diſponendo ſecum quæ
" per ſermonem mox dicturus erat". His verbis clara luce coruſcantibus, operoſe tenebras offundere conatur *Præſul Cl.* ſed incaſſum.

* *P.* 100.

† *Ibid.*

‖ *Contra Prax. c.* 5.

SECT.

Sectio Quarta.

An Tatianus *existimaverit Filium ejusdem numero substantiæ cum Patre Deum fuisse?*

AD *Tatianum* pergimus, *Justini M.* discipulum, præceptoris sui vestigijs insistentem. Is enim Deum Christianorum μόνον ἄναρχον *solum sine principio* constituit, & τῶν ὅλων ἀρχὴν *rerum omnium principium, etiam ipsius* λόγου; ut ex sequentibus constabit. Hunc θεὸν τέλειον, καὶ ἀνωνόμαστον *perfectum, & nomine carentem,* pronuntiat; quibus epithetis *Justinus Deum primum, supra quem alius Deus non est,* indigitat. Hic *Pater mundiq; Dominus,* cum omnium esset ὑπόστασις *subsistendi ratio,* * κατὰ μὲν τὸν μηδέπω γεγονημένον πόσιν μόνος ἦν, *quatenus nihil adhuc factum erat, solus erat;* καθὸ δὲ πᾶσα δύναμις ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις, ἦν σὺν αὐτῷ τὰ πάντα, *sin vero respicias omnipotentiam ejus, juxta quam visibilium & invisibilium subsistendi causa fuit, omnia cum ipso erant;* σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ ὑπέστησεν, *cum ipso enim, ob rationalem ejus potestatem, ipse etiam* λόγος *qui in ipso erat, subsistebat;* θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ ὁ λόγος, *cum vero voluerit, ex simplicitate ejus prosiluit sermo, ratio,* aut *verbum:* ὁ δὲ λόγος ὁ κατὰ κενὸν χωρήσας, ἔργον πρωτότοκον τοῦ πατρὸς (lege πατρὸς) γίνεται, *sermo autem seu ratio non ita à Deo Patre procedens, ut ipsum rationis vacuum relinqueret, opus primogenitum Patris est:* hunc scimus mundi principium: genitus autem est κατὰ μερισμὸν, ὁ κατ' ἀποκοπὴν *per partitionem* (supple, rationis, sive sermonis,) *non abscissionem;* quod enim abscissum est, à primo separatur; quod autem

I.

* P. 145.

autem divisum (aut partitum est) dispensationis conditionem accipiens, non eum relinquit indigum unde desumitur. Ut enim ab una face faces multæ accenduntur, nec tamen primæ facis lux minuitur ob plures inde accensas; ita ratio sive sermo προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα, *ex Patris potestate proveniens, non fecit genitorem ratione destitutum.*

II. Antequam vero progredior ad argumenta ex hac orationis serie producenda, pauca in versionis nostræ subsidium & firmamentum præmittenda sunt.

1°. Igitur, quod verto τὸ, ὃ κατὰ κενὸν χωρήσας, *non ita à Deo procedens, ut ipsum rationis vacuum relinquat*; id, inquit *Worthius*, sibi vult *Tatianus*, ut ex infra dictis liquet, Patrem ex hac productione λόγου non exinanitum, sive exhaustum, seu factum ἄλογον, ut infra loquitur. Quod vero dicit idem vir doctus, ex his clare effici doctrinam de Filij ὁμοουσίῳ, sive ex ipsa Dei Patris essentia & substantia numerica productione, dogma fuisse *Justini* ætate in ecclesia Catholica receptum, fixum, ratum, & stabilitum; in eo longissime ipsum falli supra probavimus. Mirumq; est, quempiam id ipsum colligere potuisse ex eo loco in quo ῥητῶς asserit *Justinus*, *virtutem illam* quam λόγον esse contendit, à Patre ἀριθμῷ ἕτερόν τι εἶναι numero alium esse, & multis hoc à se probatum esse dicit.

III. Secundo; quod verto αὐτὸς καὶ ὁ λόγος *ipse etiam sermo*, hoc in *Petavio* carpit *Præsul. Cl.* ipsumq; *Tatiani* verba depravasse queritur; sed immerito; id enim non tantum potuisse *Petavium*, sed etiam debuisse, Græco idiotismo minime refragante, cuivis notum est. Ita *Matth.* 3. 9. *potest Deus* καὶ ἐκ τῶν λίθων τούτων *etiam ex his lapidibus.* ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη *nunc vero etiam securis posita est.* 6. 12, ὡς καὶ ἡμεῖς *ut etiam nos remittimus.* 7. 12, οὕτω καὶ ὑμεῖς *sic etiam facite vos.* 15, 16. καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; *adhuc etiam vos sine intellectu estis?* Vide plura apud *Naldium*,

p. 276.

p. 276. Debuiſſe *Petavium* ita reddere, ipſa verborum ſeries oſtendit. Quid enim ineptius, quam dicere de ipſo (Patre,) quod per rationalem potentiam, ſeu per potentiam verbi, αὐτὸς ipſe Pater ſubſiſtebat? Ex *Petavij* autem verſione clara ſunt *Tatiani* verba, & recto ordine procedunt, & particulâ γὰρ ad hunc modum connectuntur, *ob ſummam ejus potentiam, qui viſibilium omnium & inviſibilium ſubſiſtentia eſt, omnia, licet nondum facta eſſent,* σὺν αὐτῷ *cum ipſo erant;* σὺν αὐτῷ γὰρ, *cum ipſo enim, ob rationalem ejus potentiam, ipſe etiam* λόγος *qui in ipſo erat, ſubſiſtebat.* Depravata autem eſt verſio Interpretis, quam *Præſul* amplectitur; nempe *tum ipſe, tum verbum*; ea etenim hæc Græca poſtulat, καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ λόγος.

Fruſtra deniq; ſe fatigat *Præſul. Cl.* circa hæc verba, τὴν δ' ἀρχὴν λόγου, δύναμιν παρειλήφαμεν; cum hæc ſit mens *Tatiani*, *principium verbi*, *poteſtatem* (nempe Patris) *eſſe accepimus*; unde paulo poſt dicitur ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως *verbum progrediens ex Patris potentia*; καὶ λόγος ἐκ λογικῆς δυνάμεως, id eſt, ex poteſtate divina λόγου productrice. *Worth.* p. 25. Nulla ergo hic occaſio oblata eſt diſputandi de ſenſu τοῦ λόγου δυνάμεως hoc in loco. His adde quod λόγου δύναμις nuſquam occurrit apud *Tatianum*, ubi de Verbi generatione agitur, ſed tantum ubi loquitur de poteſtate qua Verbum omnia prænoſcit; aut de poteſtate illa qua ipſum *Satanam*, ejuſq; conſortes commercio ſuo privat: ut ex locis à *Præſule* allatis conſtabit. His ita præmiſſis, notandum eſt, IV.

1mo. *Tatianum* Deum Patrem à Filio his Epithetis plane diſtinguere,* quod ſit *Deus ineffabilis, aut ſine nomine, mundi Dominus, viſibilium omnium & inviſibilium Pater*, in quibus omnibus *Juſtini* veſtigiis infiſtit, ejuſq; verbis utitur. V.

* P. 144.

2do. Hunc Patrem, ante mundum conditum, ſolum fuiſſe dicit, utpote qui ſolus tunc actu exiſte-

bat; omnia vero cum ipso fuisse, eorumq; omnium substantiam, seu potius subsistendi rationem, Patrem fuisse, quatenus in se omnem potestatem habuit ea producendi. Immo ratio, seu verbum illud quod in se habuit, cum ipso subsistebat, non ob generationem actu æternam intra Patris essentiam, sed διὰ λογικῆς δυνάμεως *ob potestatem rationalem quam in seipso Pater habuit*, rationis seu verbi producendi; unde verbum progrediens (non ex Patris essentia, sed) ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως *ex Patris potestate* dicitur; non necessitate naturæ, sed θελήματι *juxta Patris voluntatem*, ex ejus simplicitate prosiliens, & ob hunc ejus egressum γεννηθεὶς κατὰ μετασμὸν *juxta participationem* sive rationalem communicationem *genitus*. Bene ergo * *Petavius*, ut solet, dicit *Tatianum* existimasse verbum à Patre productum, non actu, & in seipso, sed tantummodo λογικῇ δυνάμει ac potestate fuisse, quemadmodum in eadem erant & creata deinceps omnia. Porro quatenus in illa δυνάμει continebantur tam verbum, quam quæ à verbo deinde procreata sunt; cum summo ac principe Deo simul extitisse. Non igitur συναΐδιον coæternum putavit Patri Filium ac verbum, sed creatum, ac voluntate sic tanquam ab Opifice productum; unde ἔργον appellatur.

* *Theol. Dogm. l.* 1. *c.* 3. §. 5.

VI. Deniq; Deo Patri materiæ ex nihilo productionem, cum præceptore suo adscribit *Tatianus* his verbis. † Non enim sine principio est materia, sicut Deus; nec eò quod principii sit expers, potentiâ Deo æqualis est: genita autem est, nec ab alio genita, μόνου δὲ τοῦ θεοῦ τῶν πάντων δημιουργοῦ ἀγένητος, *sed à solo omnium Opifice producta*: unde sequitur ex mente *Tatiani*, nihil esse posse Deo æquale, quod non sit ἄναρχον sive principii expers. Cum ergo paulo ante dicit, Verbum hunc mundum genuit, τὸν ὅλον ἑαυτοῦ δημιουργήσας; non est dicendum cum interprete *Verbum sibi ipsi materiam produxisse*, sed à Patre productam, ut sibi visum est, & in suos usus sibi

† *P.* 145.

ipsi

ipſi *diſpoſuiſſe*, & in formam redegiſſe; prout *Juſtinus*, & *Methodius*, ſupra citati docuere.

Objicit his *Præſul Cl. Tatianum* aſſerere Filium VII.
" ex Patre genitum eſſe ὐ κατ' ἀποκοπὴν *non per ab-*
" *ſciſſionem*, ita ut à Patre ſeparetur, ἀλλὰ κατὰ με-
" ερισμὸν *ſed juxta participationem*, & communica-
" tionem divinæ eſſentiæ; quomodo ignis ab alio
" igne accenditur, quod τὸ ὁμοούσιον perſpicuè decla-
" rat.

Reſpondeo: hæc à *Tatiano* dicta eſſe, juxta *Juſtini* præceptoris ſui mentem, eſt minime dubitandum; ijsdem enim ſimilitudinibus facis à face accenſæ, & ſermonis à nobis emiſſi rem explicat. Is tamen Filium à Patre genitum, numero alterum fuiſſe, eodem in loco contendit; nec ex eſſentia, ſed à *poteſtate & conſilio Patris* productum fuiſſe aſſerit. *Tatianus* ergo pariter dicit generationem hanc factam eſſe ὐ κατ' ἀποκοπὴν *non per abſciſſionem*, τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τῆ πρώτη κεχώρισται, *quod enim abſcinditur, ita à primo abſcinderetur*, ut eum abſciſſi vacuum relinquat; ſed κατὰ μερισμὸν *per participationem*; τὸ γὰρ μεριζὸν, οὐκ ἐνδεῖ, *quod enim participatione* genitum eſt, diſpenſationis officium in ſe ſuſcipiens, *non indigum* eum facit accepti, à quo accepit; eodemq; modo ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα, *Verbum ex Patris poteſtate proveniens, non Patrem reliquit rationis deſtitutum*; Eſt tamen alius à Patre λόγος, eodem modo quo fax à face accenſa alia numero eſt ab ea à qua accenditur; & vox à nobis emiſſa, alia eſt à facultate loquendi adhuc in nobis inſita. Notandum eſt deniq; *Tatianum*, non hic adducere exemplum facis à face accenſæ, ad *modum* τοῦ μερισμοῦ generationis Filij illuſtrandum, ſed tantum ut oſtendat Patris λόγον non minui ob hanc τοῦ λόγου προόλευσιν; *Juſtino* pariter monente virtutem illam quam λόγον nuncupat, ἀπὸ τῆς πατρικῆς δυνάμεως καὶ βουλῆς γεγεννῆσθαι à Patris poteſtate & voluntate genitam

tam esse, non per abscissionem, ἀλλ' ὡς ἀπὸ πυρὸς ἀναπτόμενα πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν ὑφ' ἡμῶν ἐλαττουμένου ἐκείνου *sed ut ab igne alios ignes accensos cernimus, illo nihil diminuto.* Dial. cum Tryph. p. 284, 358.

VIII. Hinc autem constat *Tatianum* non potuisse agnoscere propriam Christi ab æterno generationem; utpote qui Patrem solum ἄναρχον principio carentem constituit, & ipsius λόγου principium. 2^do. Quod Patrem dicit, cum nihil adhuc factum esset, solum fuisse; Filiumq; in eo tantum fuisse ea ratione, qua visibilia omnia & invisibilia cum eo essent, διὰ λογικῆς δυνάμεως per *rationalem* illam *potentiam* qua omnia potuit producere; adeoq; ipsum τὸν λόγον, ἔργον πρωτότοκον *opus fuisse primogenitum.* Quæ ex adverso disputat *Præsul Cl.* περὶ τῆς λόγου δυνάμεως, & de his verbis αὐτὸς ἦν ὁ λόγος, abunde in hac Sectione refutavimus.

Sectio Quinta.

Utrum Athenagoras *docuerit unam Dei Patris & Filij substantiam fuisse cum Personalitatum differentia?*

CEnturiæ huic finem imponimus disquisitione hac de vera *Athenagoræ*, circa S. *Trinitatem*, sententia. Is autem multis & perspicuis verbis ostendit, Christianorum omnium communem hanc fuisse sententiam, unum esse Deum ingenitum, à Verbo & Spiritu Sancto plane distinctum. Sic enim incipit eorum sententiam proponere. " * Sermo " nostер prædicat unum Deum omnium Opificem, " eumq; non genitum, (quod enim est, non gene- " ratur, sed quod non est,) omniaq; per Verbum " suum

* P. 5.

" ſuum facientem, καὶ ὑφ' ἑ τὸ πνεῦμα συνέχεται,
" & à quo, Spiritu ipſius, gubernantur ea quæ
" facta ſunt". Utq; oſtendat non ſolum Chriſtianos * εἰς μονάδα τὸν θεὸν καταλλείειν, unitate Deum † P. 6, 7.
Patrem univerſi includere, inducit Platonem agnoſcentem ἕνα τὸν ἀγένητον καὶ ἀΐδιον θεὸν unum ingenitum & ſempiternum Deum eſſe. Ex quibus Chriſtianorum cauſam ſic agit. " Si Atheus non
" fuerit Plato, ἕνα τὸν δημιουργὸν τῶν ὅλων νοῶν ἀγένητον
θεὸν, unum ſentiens ingenitum Deum eſſe, qui om-
" nium ſit Opifex; nec Athei ſumus nos, illum
" ſcientes & tenentes Deum eſſe ὑφ' ἑ λόγῳ διακεκοσμῆ-
γθαι, καὶ τῷ παρ' αὐτῶ πνεύματι συνέχεσθαι τὰ πάντα, à quo,
Verbo fabricantur, & cujus Spiritu continentur omnia. Cumq; alios produxiſſet, qui ἓν τὸ θεῖον unicum eſſe id quod Deus eſt, exiſtimabant; orationem hanc ſic in compendium redigit. " Quum igitur
" unum eſſe Deum pleriq; omnes, vel inviti, con-
" ſentiunt, cum ad univerſorum τῶν ὅλων principia
" animum applicuerint, ἡμεῖς δὲ κεφαλαιούμεθα τὸν δημιουργήσαντα τὸ πᾶν σύστημα, τοῦτον εἶναι τὸν θεὸν, nos autem hunc .II
Deum eum eſſe teneamus, qui hoc Univerſum effecit; quî fit ut ijs impunè de Deo tum ſcribere, tum loqui quæ velint, liceat; nobis tamen alia lex poſita ſit, οἱ ἔχοντες, καὶ νοοῦντες, καὶ ὀρθῶς πιστεύοντες, ἕνα θεὸν εἶναι, qui poſſumus, id quod intelligimus & rectè credidimus, unum Deum eſſe, ſignis atq; rationibus veriſſimis aſtruere. Porro ſententiam hanc confirmat ex his Prophetarum verbis, " Dominus eſt Deus
" noſter, non comparabitur alius ad ipſum. Et rur-
" ſus: Ego ſum Deus primus, & poſt hæc & præter
" me non eſt Deus; ſimilis ante me non fuit Deus
" alius, & poſt me non erit. Ego ſum Deus, &
" non eſt præter me. Quæ omnia cum potuiſſet, nulla cautione adhibita quòd hæc Teſtimonia Deos gentium tantum, non autem Deum Filium ab hac unitate excluderent, (hæc enim diſtinctio ante ortam Noëti ſententiam apud Patres nuſpiam inveni-

tur,)

tur;) satis, inquit, demonstratum est, nos non esse atheos, θεὸν ἄγεννητον ἕνα τὸν ἀγέννητον, ἀίδιον, *qui Deum unum prædicamus, ingenitum, æternum---- qui luce, pulchritudine, Spiritu, potentia ineffabili circundatur, à quo facta, ornata, & stabilita sunt omnia* διὰ τοῦ αὐτοῦ λόγου *per verbum ejus*, vel potius διὰ τοῦ παρ' αὐτοῦ λόγου *per verbum quod ab eo est*. Ex quibus omnibus, ex *Athenagoræ* sententia, Deum illum unum quem *Christiani* prædicabant, non alium fuisse quam Deum ingenitum, æternum, τὸν παντὸς ποιητὴν, καὶ ὅλων δημιουργὸν *omnium opificem*, liquet. Quibus epithetis istius sæculi Scriptores Deum Patrem à Filio semper distinguebant, Deumq; Filium ab hoc omnium opifice ex eo distingui docuerunt, quod sit ille *per quem*, aut cujus ministerio Pater fecit omnia. Post hæc sequitur mystica quædam, & perobscura de Filio, & Spiritu Dei dissertatio, quæ mihi adhuc crucem figit, quamq; idcirco missam facio; *si enim non vult intelligi, debet negligi.*

II. Ad ea quæ *Præsul Cl.* ex p. 11. producit, "Quis "igitur non miretur nos qui Deum Patrem prædi- "camus, & Deum Filium, & Spiritum, & qui "ostendimus eorum in unitate potestatem, & in "ordine divisionem, impios & atheos nominari": Respondeo; Ea vel esse integra aliena manu inserta, ijsq; quæ pagina priori de *Christianis* ab atheismo purgandis dixerat, eo quod unum Deum ingenitum & æternum prædicarent, plane contraria, planeq; falsa; nusquam enim antea, vel Filium, vel Spiritum Sanctum, Deum vocaverat: Vel saltem ad hunc modum legenda; Quis Atheos existimabit nos λέγοντας θεὸν πατέρα, καὶ υἱὸν θεοῦ, (aliter enim dixisset, καὶ θεὸν υἱὸν) καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, (l. ἐν τῇ δυνάμει ἑνώσιν) καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, dicentes Deum Patrem, & Filium Dei, & Spiritum Sanctum, & demonstrantes eorum in potestate unitatem, & in ordine distributione? Alia certe est Patrum *Posteriorum*

rum de hac unitate ſententia, alius plane modus loquendi. Ii etenim Patri & Filio non tantum ἑνότητα δυνάμεως καὶ πνεύματος adſcribunt, ſed ſubſtantiæ ejuſdem numericæ unitatem: Nec Patrem, Filium, & Spiritum ordine tantum diviſos conſtituunt, ſed propriis ſubſiſtendi modis, ſive ἰδιοσυστάτοις διαιρέσει. Clarum itaq; eſt Athenagoram ab ijs, ſenſu haud minus quam verbis, diſcrepaſſe.

Idemq; judicium ferendum eſt de verbis hiſce inter mediam *Athenagoræ* ſententiam plane inſertis, nempe [" Quem utpote Deum cum verbo ſuo " cognoſcere optamus, ut quænam Filij ad Patrem " unio ſit, intelligamus, quid Pater cum Filio " communicet, quid ſit Spiritus, quæ unitas trium, " quæ diſcretio unitorum, Spiritus ſc. Filij, & Pa- " tris".] His enim demptis, integra ſententia ſic ſe habet; * *an illi qui mortem profundum ſomnium, rerumq; omnium oblivionem eſſe ſtatuunt, pietatis ſtudioſi videantur; nos autem non videmur, qui præſentem hanc vitam non magni faciamus, & qui longe præſtantiorem quam verbis exprimere quiſquam valeat, eam quæ nos excipiet vitam agnoſcimus?* Quibus paria ſunt hæc † *Tatiani* verba; *Nobis facile eſt mori, qui pro morte* ἀίδιον ζωὴν *vita æterna cum voluptate fruemur.* III.

* P. 12.

† P. 153.

Porrò, quicquid de his verbis ſtatuendum erit, certum eſt *Athenagoram*, per integrum hoc opus, de Generatione noſtra Theologica per eſſentiæ ejuſdem communicationem, nihil prorſus dicere; immo Filium Dei nec Patri per generationem ſimilem eſſe poſſe, nedum æqualem, eodem Argumento probat, quo duos ἐξ ἀρχῆς Deos impugnat. Sic enim ſe habet, εἰ θεοὶ, ὅμοιοι, *ſi ambo Dii eſſent, ſimiles eſſent; ſed quoniam ingeniti ſunt, & geniti,* οὐχ ὅμοιοι *non ſunt ſimiles: quæ enim genita ſunt, exemplaribus ſuis ſunt ſimilia; ingenita vero ſunt ijs diſſimilia, utpote quæ nec ſunt* ἀπό τινος, ὅτε πρὸς τινὰ γενόμενα, *ab aliquo, nec ad alicujus exemplar genita.* Filius ergo

‖ P. 66.

non

non est similis Patri ingenito, utpote qui ab aliquo genitus est, & ad ejus exemplar cujus est Imago. His robur accedit à descriptione Filij Dei quæ postea sequitur his verbis: *Est Filius Dei* λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ *verbum Patris in idea, & opperatione:* πρὸς αὐτὸν γάρ, καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, *ad eum etenim tanquam exemplar, ejusq; operatione omnia sunt facta.*

* *Ibid. p.* 80.

Hinc deniq; constat, ex mente *Athenagoræ*, & Christianorum omnium eadem ætate degentium, Patrem solum fuisse θεὸν ἀγέννητον, καὶ ἀΐδιον, *Deum ingenitum, & æternum*; Filiumq; Dei Patris πρῶτον γέννημα *primam progeniem dici*, οὐχ ὡς γενόμενον non ob generationem quandam ab æterno proprie sic dictam, quæ Filium constituit ζῶντα καὶ ὑφεστῶτα viventem & subsistentem per se in vel extra Patrem, sed quia Pater ipse ab æterno mens existens, habuit in seipso λόγον rationem, ἀϊδίως λογικὸς ὢν *ab æterno rationalis cum fuerit.* Dicit hic *Præsul Cl.* desipuisse plane *Athenagoram*, si putaret ipsam Dei Patris mentem, & ipsam rationem qua est λογικὸς, paulo ante mundum conditum ex ipso progressum esse, sive processisse, ut mundum conderet. Certum est tamen *Athenagoram* ῥητῶς dicere Deum Patrem habuisse in seipso λόγον, atq; hoc pariter ipsum probare, quod Pater esset νοῦς ἀΐδιος, καὶ ἀϊδίως λογικός. Quis jam non potius desiperet cum *Petavio*, quam saperet cum *Bullio!* προελθὸν λόγος ad mundum condendum agnoscit sæpius * *Marcellus*, quem tamen *Sabellianismi* inculsavit Ecclesia; inducit enim Verbum interdum quiescens, aliquando σημαντικῶς ἐνεργοῦντα *signanter operans*, nempe ἐν τῷ τὴν κτίσιν δημιουργεῖν *in mundi creatione*; μόνη δ' ἐνεργείᾳ προελθόντα τοῦ πατρὸς, *generatum ex ipso prodeundo*; † γέννημα γὰρ τὸ προελθὸν ἐκ προπάτορος γίνεται τοῦ πατρὸς *nam quod de Patre præ-existente egreditur, genimen ejus est.* καὶ τοῦτον εἶναι τὸν τῆς γενέσεως ἀληθῆ τρόπον *& hunc* dicit *esse verum modum generationis Filij.*

* *Euseb. contra Marcel. p.* 4, 32.

† *Eccl. Theol. l.* 2. *c.*8. *p.*112.

Porrò,

Porro, notante *Basilio*, *Sabelliani* Filio tribuebant οἰκονομικὰς ἐνεργείας *operationes dispensatorias*, & juxta *Epiphanium* S. Trinitati concedebant μίαν οὐσίαν, ἐνεργείας δὲ τρεῖς *unam tantummodo substantiam, operationes vero tres.*

Deniq; si illud sensisset, inquit *Præsul*, *Athenagoras*, plane ineptiisset, idem per idem probando hunc ad modum: Deus est æterna mens; ergo ex æterno habuit in se mentem: Quasi novum esset ex attributis, quæ eadem sunt cum divina essentia, probare Patrem aut Filium Deum esse. Porro quid aliud indicat *Athenagoras* dicendo, * πάντα θεὸς αὐτός ἐστιν αὐτῷ, φῶς ἀπρόσιτον, πνεῦμα, δύναμις, λόγος, *omnia sibi est Deus, lux inaccessibilis, Spiritus, potentia, sermo.* Ita, ni fallor, responsum exhibuimus præcipuis *Præsulis Cl.* Argumentis ex *Athenagora* desumptis. * *P.* 15.

Caput Tertium.

Sectio Prima.

AD Patres Tertij Sæculi jam accedimus; inter quos primus merito eminet *Origenes*; cujus sententiam *Synodi Nicænæ* placitis ex diametro adversam fuisse, tam multis alibi probavimus, ut pene superfluum fuerit, plura jam dictis adjicere; pauca tamen, ex ejusdem de oratione disputatione, lubet adferre: in qua

I. Asserit Filium à Patre alibi se demonstrasse ἕτερον κατ' οὐσίαν *essentiâ diversum fuisse*; nempe † Commentario in *Johannem*, ubi impugnans eos qui docuerunt Spiritum Sanctum non habuisse οὐσίαν τινὰ ἰδίαν, ἑτέραν παρὰ τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱόν, *essentiam quandam propriam, à Patris & Filii essentia diversam,* I. * *P.* 48. † *P.* 56.

ſam, ab ijs indicat ſe diſſentire, & credere Patrem, Filium, & Spiritum τρεῖς ὑποστάσεις τυγχάνειν *tres eſſe perſonas*, ſive ſubſtantias; quem ſenſum verba præcedentia poſtulant. Si enim per *tres hypoſtaſes*, perſonas ab eſſentia diſtinctas intellexiſſet, neutiquam oſtendiſſet ſe diſſentire ab ijs qui unicam Trinitati οὐσίαν tribuerent, aut propriam Spiritui Sancto οὐσίαν fuiſſe pernegarent. Quod etiam ultra liquet ex verbis ſequentibus, in quibus Filium inducit miniſtrantem Spiritus Sancti ὑποστάσει ſubſtantiæ, εἰς τὸ εἶναι *ut ſit*, utpote διὰ λόγου παραδεχόμενον γενέναι *à verbo accipiens exiſtentiam ſuam.* Et
* P. 70. rurſus, * quia *Chriſtus* dicit ſe eſſe lucem, & *Johannes* dicit, *Deus eſt lux*, poteſt, inquit, quiſpiam hinc colligere τῇ οὐσίᾳ μὴ διεστηκέναι τὸν υἱὸν τοῦ πατέρα *Patrem à Filio eſſentia non differre*; his reſpondet, non eandem eſſe lucem utriuſq;, ſed δύο φῶτα *duo luminaria* Patrem & Filium eſſe manifeſte *Davidem* oſtendere, dicendo, *in lumine tuo videbimus lumen.* Ad hæc Chriſtum dicit excellentiorem eſſe thronis, dominationibus, poteſtatibus, & omni nomine quod nominatur, eſſentiâ, dignitate, potentiâ, & divinitate; & tamen in nullo horum, inquit, cum Patre
‖ P. 228. comparatur. Et deniq; ‖ voluntas quæ in Filio eſt, imago eſt primæ voluntatis, ἡ ἐν αὐτῷ θεότης, εἰκὼν τῆς ἀληθινῆς θεότητος, *& quæ in ipſo eſt divinitas, imago eſt veræ divinitatis.*

II. 2°. Multis contendit *Origenes*, Chriſtum non eſſe precibus adorandum.

* P. 48. 1°. Quod inter * τὰ γενητὰ *ea quæ genita fuerint*, numerandus ſit; ὀφεὶ δὲ τῶν γενητῶν προσευκτέον, *nihil autem quod genitum eſt, invocandum.*

2°. Quod oportet Chriſtianos obtemperare Chriſti præceptis & documentis; is autem docuit nos,
† Ibid. cum oramus, dicere, † *Pater noſter* &c. Unde colligit, orandum non eſſe αὐτῷ τῷ Χριστῷ, ἀλλὰ πατρὶ καὶ θεῷ τῶν ὅλων, *ipſi Chriſto, ſed Patri & Deo rerum omnium.*

3°. Quod

3°. Quod οὐ χρὴ πρὸς εὐχομένῳ προσεύχεσθαι * *non oportet oranti preces dirigere*; Chriſtus autem Patri orat. * P. 19.

4°. Quod Chriſtus eſt Sacerdos noſter, & Advocatus; ei vero qui à Patre conſtitutus eſt Sacerdos noſter & Advocatus, εὔχεσθαι ἡμᾶς οὐ δεῖ *non oportet nos orare.*

5°. Quod Chriſtus ſe nobis fratrem nuncupat his verbis, *Prædicabo nomen tuum inter Fratres meos:* ἀδελφῷ δὲ προσεύχεσθαι οὐκ ἔστιν εὔλογον, *fratrem vero invocare, non eſt rationi conſonum.*

Deniq; dicit praxin *Chriſtianorum* in hac re χίζομένην, i. e. *diviſam fuiſſe*, dum alij Patrem, alij vero Filium invocabant. Monet igitur omnes τὸ αὐτὸ λέγειν *idem dicere*, & Patrem ſolum invocare. Unde conſtat † *Auguſtinum* merito dixiſſe, juxta *Origenis* ſententiam, non adorandum eſſe Filium cum Patre, quia non Auctor indulgendarum petitionum eſt, ſed ſupplicator: Et *Theophilum Alexandrinum* vere affirmaſſe, juxta *Origenis* ſententiam, non eſſe adorandum Filium, neq; cum Filio Patrem; horum etenim utrumq; dicit μὴ εὐχῆς, p. 48, 49. † *Vide Huetium Origenian.* p. 48.

III.

De Spiritu Sancto craſſior adhuc, & manifeſtior eſt *Origenis* deliratio; hunc etenim, cum *Pſeudo-Clemente*, inter Creaturas à Chriſto factas non ſemel conſtituit, idq; ex his ‖ D. *Johannis* verbis colligit, *ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt:* Intra quorum ambitum, Spiritum Sanctum contineri poſſe, contendit. Alibi eundem non modo infra Patrem deprimit, ſed etiam infra Filium, utpote tantum, ſeu magis, à Filio ὑπερέχόμενον *ſuperatum, quantum Filius à Patre.* Vide plura apud *Huetium Origenian.* l. 2. quæſt. 2. §. 8, 9. ‖ *Com. in Joh. p.* 56, 58, 60.

Claudam ſectionem hanc verbis * *Euſebij Cæſarienſis*, qui *Marcello Origenem* incuſanti, quod Verbo δευτέραν ὑπόστασιν *ſecundam ſubſtantiam* tribuiſſet, reſpondet ad hunc modum, " Ego autem perlegi " virorum, *Origene* antiquiorum, Eccleſiaſtica ſcripta * *Contra Marcel. l.* 1. *c.* 4. *p.* 20.

" quamplurima, & Epistolas diversas *Episcoporum*,
" & *Synodorum*, olim conscriptas, δι' ὧν εἷς καὶ αὐτὸς ὁ τῆς πίστεως χαρακτὴρ ἀποδείκνυται *per quæ una eademq; fidei formula monstratur.*

Sectio Secunda.

Utrum Theognostus Alexandrinus *docuerit* τὸ ὁμοούσιον, *sive unicam Patris, Filij, & Spiritus Sancti essentiam?*

INTER sæculi tertij scriptores à fide *Nicæna* heu nimium deviantes, primum posuimus *Origenem*; cujus documentis multos ejusdem ævi, ejusdem scholæ, ejusdem deniq; *Magistri* Discipulos, se addixisse, eaq; suffragiis suis comprobasse, non mirum esse pronuntiat *Cavius* nostras, *Præsuli* ipsi, in judicio de his rebus ferendo, non impar.

I. Agmen ducat *Theognostus*, cui blasphemiam impingit * *Photius*, eo quod libro *Hypotyposeon* secundo, de Filio loquens, κτίσμα αὐτὸν ἀποφαίνει, καὶ τῶν λογικῶν μόνον ἐπισατεῖν *creaturam ipsum pronuntiat, & ratione præditis tantum præesse dicit*; & plura id genus alia, unà cum *Origene*, Filio adscribit. Spiritum Sanctum existere conatur ostendere; τὰ δ' ἄλλα ὥσπερ Ὠριγένης ἐν τῷ περὶ ἀρχῶν, ὅτου καὶ αὐτὸς ἐνταῦθα παραληρεῖ, *in cæteris autem delirat, ad modum* Origenis *in libro de principiis*; quem quidem Spiritum inter res à Christo factas, sive inter τὰ κτίσματα posuisse in supra citatis probavimus; idemq; testantur *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Augustinus*, *Justinianus* apud *Huetium*, *Origenianiorum* l. 2. qu. 2. §. 22. p. 42. Quibus adde † *Photium* ipsum his verbis. " In libro de principiis dicit, τὸν μὲν υἱὸν καὶ πατρὸς

* *Cod.* 106. *p.* 280.

† *Cod.* 8. *p.* 9.

ποιῆσαι, τὸ δὲ πνεῦμα ἐκπορευόμενον τοῦ υἱοῦ, *Filium à Patre factum esse, Spiritum vero à Filio.* Hic autem *Præsul Cl.* de Spiritu Sancto prorsus silens, quod ad primam assertionem, *Photium* falsi incusat, vereor ne falso: nec enim *Photius* sibi fidem detrahit dicendo, *Theognostum* libro 5. & 6. nugas agere, maxime cum ausus sit dicere, nos opinari Filium alijs & alijs modis circumscribi, μόνην δὲ τὴν ἐνέργειαν μὴ περιγραφόμενον *operatione autem sola non esse circumscriptum.* An enim de *Theognosto* melius sentire potuit *Photius* ob id quod inter maximas ejusdem κενοφωνίας enumerat? Nec immerito; dicere enim Filium alium à Patre esse tantum κατὰ περιγραφὴν, juxtà *Origenem*, est in * *Com. in* *Noëti* Hæresin incidere, & μόνῳ δὲ ὀνόματι *nomine* *Johan.* *solo* utroſq; disserepantes existimare. Ad hæc fallitur *Præsul Cl.* si crediderit *Theognostum* hæc ex propria sententia protulisse, quæ de aliorum tantum sententiis intelligenda sunt; aut si existimaverit *Theognostum* non potuisse, libro secundo, ea quæ disertim ei *Photius* tribuit, dixisse; eo quod libro quinto, aut sexto, hæc dixisset vel ex sua, vel ex aliorum sententia, quæ *Ariani* & *Semiariani* omnes libere agnoscunt. Deniq; quid obstat quo minus *Photius* affirmaret *Theognostum* εὐσεβεστέρως πως *quodammodo magis pia* dixisse, in libri septimi fine, de Filio, quam de eodem locutus esset in prioribus? Non enim dicit absolute *Theognostum* εὐσεβῶς *pie* & orthodoxe ibidem aliquid dixisse; sed tantum comparative, *magis pie*; nec hoc quidem agnoscit sine diminutivo πως, quod adhuc magis detrahit de *Theognosti* orthodoxia. *p.* 46.

Quod autem suggerit *Præsul Cl.* ex *Athanasii* II.
sententia, clarum esse *Theognostum* in libro *Hypotyposeon* secundo, prius Heterodoxorum sententiam proposuisse, tandem vero suam plane Catholicam sententiam ipsis oppositam tradidisse; pace ejus dixerim, *Athanasium* non insinuare *Theognostum* Heterodoxorum sententiam prius tradidisse, sed

tantum quod ea dixerit ἐν γυμνασίᾳ ἐξετάσας *per modum exercitii inquirens.* (2°.) Planum eſt hoc *Athanaſii* χρυσοῦγιπον nequaquam *Photium* latuiſſe; Cum enim *Theognoſti* verba protuliſſet, pergit ad hunc modum, εἰ τίς εἴποι ſi quis dixerit, excuſandi ipſum gratia, " *Theognoſtum* hæc profudiſſe ἐν γυμ-" νασίας λόγῳ *exercitationis gratia,* ἐ δόξης *non ex* " *ſententia propria,* tale; inquit, effugium in diſ-" putatione non prorſus abſurdum eſſet; in ſcripta " autem oratione, ſi quis, ipſum purgandi gratia, " hanc adfert apologiam, εἰς ἀδυνῆ καταδῦναι προσηγο-ρίαν *ad imbecillum confugiet patrocinium.* En quam clare tam *Athanaſij,* quam *Præſulis* ſubterfugio contradicit! (3°.) *Athanaſius* ex contextu orationis *Theognoſtianæ* hoc non oſtendit, ſed tantum ex verbis ibidem citatis infert ad hunc modum; ὁ μὲν οὖν *is igitur,* &c. Tantum vero abſunt verba ab *Athanaſio* citata à *Catholica* ſententia, ut potius oſtendant meritò de ipſo *Photium* pronuntiaſſe, quod τὰ ἄλλα ὥσπερ Ὠριγένης παραληρεῖ, *in aliis, ſicut Origenes, delirat:* Quod ex collatione verborum *Theognoſti,* cum verbis *Origenis,* palam conſtabit. Sic enim *Theognoſtus* loquitur *: " Non quædam extrinſecus in-" venta eſt Filij ὐσία *eſſentia,* nec ex non entibus " producta eſt, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς ὐσίας ἔφυ, *ſed ex* " *eſſentia Patris nata eſt,* ὡς τὸ φωτὸς ἀπαύγασμα *ut* " *ex luce jubar,* ex aqua vapor; ἔστε γὰρ τὸ ἀπαύγασμα ἔστε ἡ ἁλμὶς, αὐτὸ τὸ ὕδωρ ἐστὶν, ἢ αὐτὸς ὁ ἥλιος, ἔστε ἀλλό-" τριον, *neq; enim vapor idem eſt quod aqua, nec* " *jubar cum ſole, licet non alienum;* ἀλλὰ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ πατρὸς ὐσίας, ἢ μερισμὸν ὑπομενούσης τῆς τοῦ πατρὸς ὐσίας, " *ſed eſt effluvium à Patris eſſentia, eadem* " *Patris eſſentia diviſionem non ſuſtinente.* Sicut " ſol non diminuitur ob radios ab ipſo profluentes, " ita nec Patris eſſentia mutationem ſuſtinet, εἰκόνα " ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν ὐὸν, *quod Filius ſit ipſius Imago.* Hic autem mitto primo ſententiam hic plane claudicare poſt ἀλλότριον, & magnam omiſſi alicujus ſuſpicio-

* *Apud Athanaſium de Synodi Nicænæ decretis, p.* 274.

ſuſpicionem inducere, quod plane indicaſſet *Theognoſtum* non exiſtimaſſe eſſentiam Filij omnino eandem fuiſſe, ſed tantum effluvium ex ipſâ; Ut enim nec vapor eſt aqua, inquit, nec jubar idem cum ſole, ſed ex ipſis effluvia, ita nec Filij eſſentia eſt eadem cum eſſentia Patris, ἀλλὰ ἀπόῤῥοια *ſed effluvium* à Patris eſſentia. 2°. eâdem ſimilitudine utitur * *Origenes* eo ipſo in loco, ubi diſertim aſſerit Filium συγκρίνεσθαι καθ' ὁδὸν τῷ πατρὶ *cum Patre in nullo conferendum eſſe*, ſpeciatim nec in eſſentia, nec in Deitate. " Eſt tamen, inquit, εἰκὼν *Imago* boni- " tatis ejus, καὶ ἀπαύγασμα *& ſplendor* non Dei, ſed " ejus gloriæ, ejuſq; lucis æternæ, καὶ ἅλμις non Pa- " tris, ſed poteſtatis ejus, καὶ ἀπόῤῥοια εἰλικρινὴς & " *ſincera* omnipotentis ejus gloriæ *effluxio*". Idem pariter dicit cum *Theognoſto* in libro περὶ ἀρχῶν, nempe " non dicimus, ſicut Hæretici putant, Patris " aliquam ſubſtantiam, Dei in Filium verſam, aut " ex nullis ſubſiſtentibus Filium procreatum à Pa- " tre, id eſt, extra ſubſtantiam ſuam". &c. De Filij generatione ſine diminutione aut diviſione Patris eſſentiæ, vide quæ obſervavimus ad loca plane ſimilia *Juſtini M.* & *Tatiani.*

* *Origen. Com. in Johan. p.* 218.

Sectionem hanc claudam obſervatione † *Huetij* de pari *Origenis* ſimilitudine; nempe, " Quam proxi- " me uſurpavimus ſolaris radij comparationem, " cum *Origenis* de generatione Filij ſententiam ex- " plicaremus, eadem nunc hic & alias quoq; repe- " tetur inferius; nulla enim eſt ad evolvenda *Origenis* de Trinitate dogmata, accommodatior. " Quanto igitur radiis ex immenſo lucis ſuæ penu " emiſſis, nobilior eſt ſol ipſe, & dignitate ſuperior; tanto nobiliorem eſſe, ac ſuperiorem Filio " Patrem cenſuit *Origenes*; paſſimq; perditam " hanc, & damnoſam ſcriptis ſuis affudit Hæreſim; " unde in *Arium Arij*q; partianos tranſmiſſa eſt. " Eandem eſſe bonitatis Filij rationem ad Patris " bonitatem, cenſuiſſe ipſum putandum eſt. Ut " enim

III.

† *L. 2. qu. 2.* §. 7, 15, 24.

" enim quandam solis Imaginem, sed rudem &
" imperfectam continet solaris radius; pari modo,
" imaginem paternæ bonitatis referre Filium existi-
" mavit, non perfectam quidem, ac per omnia ar-
" chetypo ipsi similem & æqualem; sed expres-
" sam leviter, & exemplaris præstantia longe infe-
" riorem. Et demum, meminerimus supra nota-
" tum esse à nobis, credidisse *Origenem* Filium ma-
" nasse de Dei substantia, sic tanquam lucem de
" sole, atq; ideo ejusdem esse ac Patrem substantiæ,
" quia lux ejusdem est substantiæ cujus sol; licet
" non sit eadem numero substantia". Et rursus,
" Filium à Patris substantia & dignitate, ut ait
" *Epiphanius*, eum segregasse, quia ut à sole per
" effluvium profecta est lux, secreta ab eo & sepo-
" sita dici potest: Præterea Patre inferiorem esse
" Filium, quia sol luce nobilior est, & dignitate
" superior.

IV. Nota deniq; *Theognostum* existimare, non potuisse Filium, quem inter creaturas depressit, Patri coæternum fuisse; nec id probant ea quæ ex *Athanasio* profert *Præsul Cl.* Nec enim ibi dicit *Theognostus*, Filium non esse Patri superinductum, sed ejus essentiam non esse extrinsecus inductam, ὅτι ἀλλότριον *nec alienam*, sed prout vapor ab aqua, & splendor à sole, effluvium à Patris essentia; atq; adeo juxta *Theognostum* non magis eadem cum Patris essentia, quam vapor cum aqua, aut splendor cum sole; nec à Patris substantia progenitam, sed ab ejus essentia natam. Est autem natum innato posterius, estq; jubar sole posterius, & ab eo separatum, & sol luce nobilior, & dignitate superior.

SECT.

SECTIO TERTIA.

IN hac ſectione agitur de *Pierij M.* hac in re ſententia, qui * *Photio* teſte, περὶ μὲν τὸ πνεῦμα ὑγιῶς καὶ ἀσφαλῶς λίαν, καὶ δυσεβῶς δογματίζει, *de Spiritu valde periculoſe, & impie docet*; ὑποβεβηκέναι γὰρ αὐτὸ τῆς τοῦ πατρὸς, καὶ τῆς τοῦ υἱοῦ ἀποφαίνει δόξης, *illum enim infra Patris, & Filij gloriam ponit.* His fruſtra *Præſul Cl.* reſpondet, agnoſcendo Spiritum Sanctum Patre & Filio minorem eſſe ſecundum *originem.* Cui enim fidem faciet, *Pierium admodum periculoſe, immo impie, locutum eſſe*, ea tantum proferendo quæ ipſi, cum ſumme orthodoxis, communia eſſent, & ex quibus non ſequitur eum minoris gloriæ eſſe quam Pater, & Filius? De eodem *Pierio* dicit *Photius*, eum plura dixiſſe ἔξω ἅπερ νῦν ἐν ἐκκλησίᾳ κατεστηκότων, ἀρχαιοτρόπως ἴσως, *extra ea quæ in eccleſia jam ſtabilita ſunt, Veterum forte more.* Veteres ergo ætatis *Pierianæ*, fatente *Photio*, multa dixerunt, ab ijs quæ ſeculo nono obtinebant, aliena. De Patre autem & Filio pie, inquit, conſtituit, non abſolute quidem, ſed cum exceptione diminutiva; *niſi quod* οὐσίας δύο, καὶ φύσεις δύο λέγει, *ſubſtantias duas, & naturas duas eos eſſe dicit*; quod ſenſu verborum proprio, eſt τὸ ὁμοούσιον ἀναιρεῖν *eſſentiæ unitatem tollere.* Ne ergo ſancto *Martyri* hoc crimen imputaretur, addit *Photius Pierium* ſubſtantiæ & naturæ nomine ὑποστάσεις *perſonas* tantum duas intellexiſſe, idq; ex verbis *Pierij* antecedentibus & conſequentibus manifeſtum eſſe dicit. Atq; ſub hoc effugio ſe tegit *Præſul Cl.* Oſtendat autem aliquis οὐσίας, φύσεως, vel etiam ὑποστάσεως vocabula Veteres illius ſæculi pro perſonis ab eſſentia diſtinctis aliquoties poſuiſſe; præſertim in ſchola *Alexandrina*; ut in hac ſolutione tandem acquieſcamus, nec exiſtimemus *Pierium* cum *Origene* ejus Magiſtro, &

* *Cod.* 119. *p.* 300.

cum *Dionyſio Alexandrino*, alijſq; ejuſdem ſcholæ, duas reipſa naturas & ſubſtantias Patri & Filio tribuiſſe. Ingenue magis agit * *Baſilius*, qui dicit, *Dionyſium Alexandrinum* τῆς οὐσίας διαφορὰν *eſſentiæ differentiam* inter Patrem & Filium inducendo, τὸ ὁμοούσιον abſtuliſſe, atq; adeo cum eo τὸ συναΐδιον *coæternitatem.*

* *Epiſt.* 41. *p.* 60, 61.

Sectio Quarta.

Utrum Lucianus Presbyter Antiochenus, & Martyr, *ſententiam* Nicæni *Concilij amplexus fuerit?*

I. LUcianum non tantum cum *Paulo Samoſatenſi*, ſed etiam cum *Ebione*, & *Artema* enumerat † *Alexander Alexandriæ Epiſcopus*, eorumq; germina *Arium* & *Achillam* conſtituit. Quis autem clarius dicere potuit, *Luciani* διδασκαλίαν *doctrinam* cum *Ariana* conſpiraſſe? ‖ *Epiphanius* pariter de *Luciano*, ab *Arianis* inter Martyres adſcripto, dicit, eum προσανέχειν τῇ τῶν Ἀρειανῶν αἱρέσει *Arianorum Hæreſi adhæſiſſe.* Idem in * *Anchoreto*, *Lucianiſtas* & *Arianos* conjungit, & utroſq; ab Evangelio refelli ait. † *Marius* itidem *Victorinus*, libro primo contra *Arium*, *Arianos*, *Lucianiſtas*, *Euſebianos*, ſubjicientes aliqua, auferentes aliqua, & mutantes, *omnes diverſæ opinionis Hæreticos pronuntiat.* Contra hæc tam clare *Lucianum* inter Hæreticos & *Arianæ* ſectæ adſtipulatores enumerantia, fruſtra ſe opponit *Præſul Cl.* dicendo, *Hieronymum* eum ob doctrinam mirificè laudaſſe, de qua ne verbum habet; *Euſebium*q; teſtari ‖ *Lucianum*, *virum per omnem vitam optimum, Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum*

† *Apud Theod. Eccl. Hiſt. l.* 1. *c.* 3.

‖ *Hær.* 47. §. 6. *p.* 378.

* §. 33.

† *Cap.* 5.

‖ *Hiſt. Eccl. l.* 8. *c.* 13.

terum fuisse; quod de viro ejusdem secum sententiæ, non mirum est *Eusebium* pronuntiasse; quod, * *Sozomeno* teste, vir probatissimus fuit, & in Sacris Scripturis imprimis versatus. Quid vero minus de *Martyre* celeberrimo dici potuit? An vero *Origenem* ab Hæreseos labe depurgabit ejusdem in *Scripturis S.* Eruditio, aut ab ijsdem Patribus laus insignior?

* *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 5. *p.* 503.

II. *Lucianum* eo nomine suspectum habeo, quod omnes scholæ ejus Discipuli, *Eusebius Nicomediensis*, *Maris Chalcedonensis*, *Theognis Nicænus*, alijq;, *Arij* sectæq; *Arianæ* Fautores evaserunt; unde pronum est conjicere, eos Magistri vestigijs insistentes, ejusq; doctrinam sequentes, huic sententiæ mordicus adhæsisse. His adde quod *Ariani* non tantum à suis, sed etiam ab Orthodoxis, *Lucianistæ* & *Collucianistæ* appellati sunt, quod eandem cum *Luciano* sententiam amplexi essent. *Epiphanius*, qui *Lucianum Arianæ* Hæresi addictum fuisse asserit, addit insuper, † *Eusebium Nicomediensem* cum eo familiariter vixisse, & *Leontium* alioſq;, qui omnes ἐκ τῆς αὐτῆς διλητειας φεατρίας ἦσαν *ex eodem pernicioso sodalitio essent:* Notissimum autem est fuisse olim sodalitium, sive φεατρίαν eorum qui *Luciani* martyris discipuli essent, & quibus honori id fuit, quod sub tali magistro meruissent. En quam clare διλητήριον *pernicioſum sodalitium Luciano* tribuit *Epiphanius*? Et quam vere hinc ‖ *Gothofridus* infert, his omnibus testimonijs confici, haud temere *Lucianum* hunc *Arianos* sectæ suæ faventem prætulisse?

† *Hær.* 69. §. 5. *p.* 730.

‖ *Notis in Philostorg. l.* 2. *c.* 14, 15, 16.

III. Quod autem ex *Symbolo* eidem adscripto, *Lucianum* Orthodoxam fidem tenuisse contendit *Præsul Cl.* imbecilli plane fulcro nititur. De hoc enim Symbolo silent *Eusebius* & *Hieronymus*, dum ejus scripta, & speciatim *libellum* fidei commemorant: Nec verbo indicant vel *Athanasius*, vel *Hilarius*, *Luciano* hoc *Symbolum* adscribendum esse; solus * *Sozomenus* dicit *Arianos* jactasse, inveniſse se hoc symbo-

* *Hist. Eccl. l.* 3. *c.* 5.

ſpmbolum *Luciani* manu conſcriptum; *utrum vero*, inquit, *vere hoc dixerint, an conſcriptionem ſuam auctoritate Martyris commendare voluerint*, οὐκ ἔχω λέγειν *nequeo dicere*. Hoc ergo *Arianorum* ſolo teſtimonio nititur. " Quis autem cordatus, inquit " in hoc ipſo capite *Præſul Cl.* fidem habebit men- " daciſſimo iſti hominum generi "? Nempe de *Luciani* cum *Arianis* συμπνοίᾳ *conſenſu* quando gloriantur, ſunt bipedum mendaciſſimi, ut ut *Epiphanium, Alexandrum Epiſcopum, Mariumq; Victorinum* ὁμοψήφους habeant; cum vero de ſymbolo ejuſdem, de quo ſilent alij omnes, ipſeq; *Sozomenus* ſe dubium agnoſcit, mentionem faciunt, ſunt viri fide digniſſimi.

IV. Nec demum in hoc ſymbolo aliquid occurrit, quod non invenitur in alijs *Arianorum* ſymbolis, & fidei profeſſionibus, in quibus Chriſtum *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum ex Patre genitum* pronuntiant. Quod enim ſymbolum hoc Chriſtum ἀπαράλλακτον εἰκόνα τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας καὶ *imaginem immutabilem eſſentiæ Patris eſſe* dicit, non probat ejus Authorem Filium ejuſdem numero cum Patre eſſentiæ exiſtimaſſe: Teſte etenim *Euſebio Nicomedienſi*, * *nunquam Imago, & id cujus eſt Imago, unum & idem eſſe concipiuntur*, ἀλλὰ δύο μὲν οὐσίαι καὶ δύο πράγματα, *ſed duæ ſunt eſſentiæ, res, & poteſtates duæ.* Idemq; † Epiſtolâ *ad Paulinum Tyri Epiſcopum* fatetur, Chriſto eſſe ἀναλλοίωτον καὶ ἄῤῥητον φύσιν *immutabilem & ineffabilem naturam*; & tamen ibidem inficiatur eundem ἐκ τῆς πατρικῆς οὐσίας ex *Patris eſſentia* five ſubſtantia eſſe genitum. Deniq; ex jam dictis ſequitur, *Lucianum* haud aliter περὶ τοῦ ἀναῖδίου *de Chriſti æternitate* ſentire potuiſſe, quam ipſos *Arij* diſcipulos.

* *Apud Euſeb. Caſar. contr. Marcell. l. 1. c. 4. p. 25.*

† *Apud Theodoret. Hiſt. Eccleſ. l. 1 c. 6.*

SECT.

Sectio Quinta.

An Methodius *docuit unicam numero fuisse Patris & Filij essentiam?*

QUOD Patribus fere omnibus solenne est, rationibus siculnis, & nullius ponderis argumentis, Christi Divinitatem proprie sic dictam propugnare; id vereor ne *Præsuli Cl.* in *Methodij* catholicismo adstruendo contigerit. Quanquam etenim verba ejusdem quæ (prout à *Præsule* citantur) Christum appellant Dominum, & Filium, qui non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, suo robore non careant; ut tamen in *Methodio* sunt posita, & à * *Theodoreto* citantur, nihil minus indicant. Sic enim se habent: " Adeo admirandum, " & magnopere expetendum est Martyrium, ut " Dominus J. Christus, Filius Dei, ipsum hono- " rare passus sit, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγησάμενος τὸ εἶναι ἴσα θεῷ *non gestiens ostendere divinam suam potestatem, semet à morte eximendo:* Quod tantum indicat, potuisse Dei Filium, potestate divina à Deo Patre accepta, prout ipse de seipso testatur, *Joh.* 10, 18, id facere; non autem Christum eandem numero essentiam cum Deo Patre habuisse. * *Dial.* 1. p. 37.

II. Levius adhuc est, quod *Methodium* inducit in *Symposio* dicentem, † Filium Dei εἶναι, & γενέσθαι, *esse, non fieri.* Hoc enim non absolute dicit *Methodius*; sed tantum Patrem, Christo ad Baptismum adeunti, dicendo, *Filius meus* εἶ ἀορίστως καὶ ἀχρόνως, *indefinite & sine temporis nota es,* non autem γέγονας *fuisti* aut *factus es,* demonstrasse eum non recens & per adoptionem factum esse Filium, quod *Ebionitarum* secta contendebat, ἀλλὰ προῳνημένον *sed eum prius genitum esse*; unde etiam addit, *ego hodie* † *Orat.* 8. p. 112.

hodie γεγέννηκά σε *genui te.* En quam clare agnoſcit Filium γεγονέναι & προγεγονέναι *factum & prægenitum eſſe*, fruſtra *Præſule* renitente.

III. Integer locus quem ex * *Methodij* libro περὶ τῆς γενητῆς *de rebus creatis* adducit *Præſul Cl.* ſic ſe habet. " Dicit " præterea de his verbis ἐν ἀρχῇ *in principio Deus fecit* " *cælum & terram*, eum qui dixerit per ἀρχὴν, αὐτὴν " σοφίαν, *principium, ipſam ſapientiam intelligendam* " *eſſe*, non aberraturum, *Solomone* dicente de ipſa " ad hunc modum, κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ " *Dominus creavit me principium viarum ſuarum* " *ad opera ſua, ante ſæculum fundavit me.* Fuit " enim conſentaneum, & decentius, omnia quæ " creata ſunt, eſſe hâc poſteriora, cum per eam " facta ſint. Conſidera enim εἰ μὴ τούτοις ὁμαρτεῖ ſi " non his conſentaneum ſit illud Evangeliſtæ: *In* " *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* " *& Deus erat Verbum*; *hoc erat in principio apud* " *Deum.* Principium enim, à quo germinavit " rectiſſimum Verbum, fatendum eſt eſſe Patrem " & conditorem omnium ἐν ᾧ ἦν in quo (Verbum) fuit: Hoc autem, *ipſe in principio erat apud Deum,* τὸ ἐξουσιαστικὸν τοῦ λόγου ὃ εἶχε παρὰ τῷ πατρὶ, καὶ πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἰς γένεσιν παρελθεῖν, ἔοικε σημαίνειν, τὴν ἐξουσίαν ἀρχὴν εἰπών. " Igitur poſt Patrem qui eſt proprium " & æternum principium, ipſe eſt aliorum princi- " pium per quod omnia conduntur". In quibus verbis ἀρχαῖον ἄνδρα ſe præſtat *Methodius*, in eadem cum Patribus *Ante-Nicænis* prioris ſæculi ſententia perſiſtens. Etenim (1°.) Patrem, & omnium factorem, πρὸ ἀναρχον ἀρχὴν, *principium principio carens*, cum *Juſtino, Tatiano*, cæteriſq; iſtius ævi Antiſtitibus, conſtituit: Filium vero principium *poſt Patrem*, ab eo productum, ut eſſet principium viarum ſuarum, per quod omnia alia produceret. 2°. Nec minus clare monſtrat ſe in eadem cum Patribus illis ſententia fuiſſe: nempe Chriſtum in Patre, etiam antequam generatus eſſet, extitiſſe, ob poteſtatem quam

* *Apud Photium, Cod.* 235. *p.* 940.

quam Pater habuit eum producendi extra se, ut esset creaturarum principium. Dicendo etenim, potestatem esse principium, videtur indicare τὸ ἐξουσιαστικὸν τῦ λόγυ potestatem quam habuit Filius apud Patrem, antequam mundus productus esset, ad genesin pervenire.

Hoc adhuc clarius ostendit *Methodius*, eodem in libro, dicendo: * Δύο δὲ δυνάμεις ἐν τοῖς προῤῥηθεῖσι ἔφαμεν εἶναι ποιητικὰς, " duas potestates effectrices in " prius dictis esse diximus; unam quæ ex rebus " non exstantibus sola voluntate, *sine rerum divi-* " *sione*, [f] cum voluit, operatus est quæ voluit; τυγ- " χάνει δὲ ὁ πατὴρ *est*q; *is Pater*. Alteram quæ per- " fecit, variatq; & exornat, secundum prioris po- " tentiæ imitationem, quod jam ante factum est; " ἔστι δὲ ὁ υἱὸς, *est autem Filius*; omnipotens nempe " & fortis manus Patris, qua materiam ex nihilo " prius creatam postea exornat". Quibus verbis plane tribuit Deo Patri, & Filio, diversas potestates, circa objecta diversa occupatas; quod quidem omnes *Episcopi* strophas evertit. Patri nimirum tribuit potestatem mundi materiam αὐτάρχως ex nihilo producendi; Filio tantum rerum ex nihilo creatarum, distributionem, & ornatum, secundum principis potentiæ Ideam. Una autem eademq; potestas nec magis nec minus principalis dici potest, nec circa diversa objecta ita occupari, ut hæc soli Patri, illa vero Filio tantum adscriberetur. IV. * *Ibid.* p. 937.

Idem *Methodius* in *Symposio* loquens de Filio †, " docebat eum qui omnibus alijs μετὰ τὸν πατέρα, *post Patrem*, major esset, μόνῳ τῷ ἑαυτῦ μείζονι πατρὶ " χρώμενος μάρτυρι, eo solo teste uti qui ipso major " extitit". Frustra hic dicitur Patrem idcirco Filio majorem dici, quod sit origo essentiæ Filij; " Certe enim comparatio, notante in locum ‖ *Com-* V. † *Orat.* 7. *apud Combefis.* p. 101. ‖ *Not.* 59. p. 153.

[f] *Sine cunctatione*: legendum enim proculdubio μελλησμῦ.

" *befisio*,

" *beſiſio*, aliud poſtulare videtur, in eo poſita tan-
" quam fundamento, quod vera laus poſtulat τὴν
" ἐπαινουμένων ἁπάντων κρείττονα μάρτυρα *teſtem majo-*
" *rem ijs quæ laudantur*: Ita in laude caſtitatis non
" homines producam, ſed Chriſtum ipſum, exem-
" plo *Prophetarum* & *Apoſtolorum*, qui in fidem
" eorum quæ de Filio Dei jam ante ſæcula exiſten-
" te dixerant, non utiq; Angelos laudum ejus
" auctores allegarunt, ſed illum ipſum ex quo om-
" nium auctoritas pendet ac robur. *Decebat enim illum*, &c. Major autem illa fides, inquit *Combeſiſius*, à digniori natura procedat neceſſe eſt. Ut ergo ſtet comparatio, non auctoritas illa principij reſpicienda eſt, ſed naturæ, penes quam Auctoritas teſtimonij æſtimanda eſt.

VI. Idem deniq; *Methodius* ex quinto ad Epheſios, *com.* 24-32. colligens hominem primo creatum ad
* *Orat.* 3. Chriſtum referendum eſſe, * quærit primo εἰ Ἀδὰμ
77,78,79. ἀπεικάζεσθαι δύναται τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *An Adam aſſimilari poſſit Filio Dei*, cui ipſum à *Paulo* referri vult, *non tantum quatenus Chriſti typus & Imago eſſet*, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τοῦτο χριστὸν καὶ αὐτὸν γεγονέναι διὰ τὸ τὸν πρὸ αἰώνων εἰς αὐτὸν ἐγκατασκῆψαι λόγον, *ſed quod & ipſe Chriſtus factus ſit, eo quod verbum quod ante ſæcula fuit, in illum ingreſſus ſit*. Decebat enim primogenitum Dei, & primam & unigenitam ſapientiam, primum formato & primogenito homini παραδέξασθαι ἐναν θρωπικάναι, *admiſtam, hominem fieri*; τοῦτο γὰρ ἦν τὸν χριστὸν *hoc enim eſſe Chriſtum*, nempe hominem pura & perfecta Deitate impletum; καὶ θεὸν ἐν ἀνθρώπῳ κεχωρημένον *& Deum in homine comprehenſum*; congruentiſſimum quippe erat πρεσβύτατον τῶν αἰώνων, καὶ πρῶτον τῶν Ἀρχαγγέλων *antiquiſſimum ſæculorum, ſive Æonum, & primum Archangelorum*, cum hominibus verſaturum, καὶ πρῶτον τῶν ἀνθρώπων εἰσοικιδῆναι τὸν Ἀδὰμ *Adamum etiam hominum primum inhabitaſſe*. Quibus cum multa id genus περὶ τῆς ἑνώσεως *de unione* & admiſtione Verbi cum homine protu-

liſſet, orationem ſic claudit: " * Præſtruximus non * *P.* 81.
" contemnendis ex Scriptura rationibus, primum
" hominem recte in Chriſtum referri poſſe, non
" modo ut typus, ſimilitudo & imago tantum pri-
" mogeniti, ἀλλὰ ϗ̀ αὐτὸ τοῦτο σοφία γεγονὼς, ϗ̀ λόγος
" *ſed ob hoc ipſum, quod factus ſit ſapientia & ver-*
" *bum*". In quem locum hæc adnotat † *Combefi-* † *P.* 146.
ſius; " Non videntur hæc ſane dicta; plane enim
" diſtinguit *Methodius* primum Adamum, & ſe-
" cundum; vultq; utrumq; ipſum reipſâ Chriſtum
" extitiſſe, inceſſente verbo, ac illabente, primo,
" ex terra virgine, tumq; alteri, ex utero virgina-
" li formato; ratione etiam firmans, quod primum
" Dei germen, & primus Archangelorum primum
" hominem inceſſere debuerit, puraq; divinitate
" uterq; Chriſtus fuerit. Quæ voces partim *Aria-*
" *nici* furfuris ſunt, partim *Neſtoriani*. Quod
" enim primus Archangelorum ὁ λόγος & ſapientia
" dicitur, qui in primum Adamum immeaverit,
" tumq; in ſecundum; adeoq; is, quanta vis excellen-
" tia fuerit, intra Angelorum numerum, adeoq; in-
" tra creaturarum lineam ponitur; purus *Arianiſ-*
" *mus* eſt; quo dato, nihil non concedebant *Catho-*
" *licis*, ad titulorum fumum, & excellentias, qui-
" bus λόγον ſic à Dei ipſa natura & eſſentia extra-
" neum, primumq; in creaturarum & intelligen-
" tiarum ſerie, exornare vellent.

Ex ijs quæ jam dicta ſunt, certum eſt, *Metho-* VII.
dium propriam Filij cum Patre coæternitatem neu-
tiquam docuiſſe. Quod enim *Præſul* adducit ad
Chriſti τὸ συναΐδιον *coæternitatem* ſtabiliendam, male
ab eo intellectum eſſe jam vidimus; aliudq; plane
eſt, Patrem Filio ad Baptiſmum adeunti dixiſſe
indefinite, & ſine temporis nota, *Filius meus es*;
aliud eundem ſibi coæternum pronuntiare. Unde
hanc vocem, inquit, *Theodoretus* in locum, " *ne-*
" *mo qui Spiritus Sancti doctrinæ credat*, τῇ θείᾳ
φύσει τοῦ ἁγίου πνεύματος *Divinitati Domini Chriſti*
appli-

applicabit; Contrarium certe ſuadent verba *Methodij*, quæ Patrem ἀναρχον ἀρχὴν *principium principio carens* conſtituunt; Filium vero μετὰ τὴν ἰδίαν ἀναρχὸν ἀρχὴν, τὸν πατέρα, *poſt proprium illud & æternum principium, quod eſt Pater*, eſſe principium per quod omnia condebantur.

Deniq; quod obſervatum eſt à *Photio*, Dialogum hunc, cui Titulus eſt *Sympoſium*, eſſe πολλὰ νενοθευμένον *multum vitiatum, ob* Ἀρειανικὰς δοξοκοπίας *Arianicas vanas opiniones, aliorumq; male ſentientium fabulas ei inſperſas*, cum ex ſolâ conjecturâ ductum ſit, nequaquam probat aliquid *Arianorum* aut aliorum male ſentientium manu eidem additum & inſertum fuiſſe; ſed potius ipſum *Dialogum* iſtiuſmodi κακοφωνίαις refertum fuiſſe, eoq; nomine, qui inter τὰ νόθα, i. e. *Spuria* numeretur, dignum eſſe.

Sectio Sexta.

Agit de Dionyſio Alexandrino, & Gregorio Thaumaturgo.

DE *Dionyſio Alexandrino* ſatis diximus in Epiſtola præfatoria, ad ſtabiliendam *M. Baſilij* de eodem ſententiam decretoriam, Concilij *Nicæni* placitis plane adverſam.

I. *Gregorij* ſymbolum ibidem multis explosimus, idemq; ἀποκόλιμβον fuiſſe evidenter oſtendimus. Eundem orationem panegyricam in laudem *Origenis* ſcripſiſſe lubenter agnoſcimus. Hanc autem quam *Voſſius*, poſt tot ſpuria ejus opera, nobis obtrudit, genuinum ejus fætum eſſe merito dubitetur. Eſto autem hoc conceſſum; magnifica tamen illa quæ ex eadem *Præſul Cl.* produxit, *Origenis* ſenſu explicanda eſſe, ex eo certò ſciamus, quod ipſe *Gregorius*

rius ibidem agnoſcit, *Divini hujus præceptoris beneficio ſe vera documenta* περὶ τῦ λόγυ *de Verbo accepiſſe.* Quod ergo (1.) ait, primogenitum hoc Verbum eſſe πάντων δημιυργὸν *omnium conditorem & gubernatorem*, ex his *Origenis* locis explicandum eſt; nempe * τὸν μὲν πρωτοτοκῶς δημιυργὸν *immediatum mundi conditorem, Dei Verbum eſſe; Patrem autem Verbi, qui eum juſſit mundum condere*, eſſe πρώτως δημιυργὸν *primarium Opificem:* Creataq; eſſe omnia † δι' αὐτῦ *per ipſum*, i. e. ejus miniſterio, non autem ὑπ' αὐτῦ *ab ipſo, ſed à Patre, ipſo majore & præſtantiore.*

* *Contr. Celſ. l. 6. p. 317.*

† *Com. in Johan. p. 56.*

2°. Quod dicit, Filium eſſe ἀλήθειαν, δύναμιν, σοφίαν πατρὸς τῶν ὅλων, *veritatem, ſapientiam, poteſtatem ejus qui eſt Pater omnium*, id ſæpius agnoſcit *Origenes*; nec tamen Filium Patri comparandum eſſe, ‖ ἢ δυνάμει, ἢ σοφία, *aut poteſtate aut ſapientia*, aſſerit. Filius pariter eſt lux vera, τῷ δὲ τῷ λόγῳ *hoc autem ſermone* Pater veritatis * πλείων ὄντι καὶ μείζων ἀλήθεια *amplior eſt & major veritas.* II.

‖ *Com. in Johan. p. 218.*

* *Ibid. p. 70.*

3°. In Patre, inquit, Filius eſt, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀπηχῶς ἡνωμένος, & *ad eum vere unitus*, καὶ ἓν πρὸς αὐτὸν ποιησάμενος *& unum cum ipſo faciens.* Hæc autem explicata juxta *Origenis* mentem, naturæ & eſſentiæ Filij Dei cum Patre unitatem non firmant quidem, ſed deſtruunt. Is enim ex *Platonis* Theologia, univerſi hujus δημιυργὸν Dei Filium eſſe dicit; † Patrem vero ejus eſſe *primum*, & τὸν ὄντι πᾶσι θεὸν *Deum ſuper omnia*; & huic Filio, Jeſu animam τῇ ἀκρᾳ μετοχῇ *perfectiſſimâ participatione unitam eſſe*, adeo ut *amplius non duo, ſed unum ſint.* Nec hoc mirandum eſſe dicit: *ſciunt enim Sacræ Scripturæ etiam alia* δυο τῇ ἑαυτῶν φύσει τυγχάνοντα εἰς ἓν ἀλλήλοις ἠνωμένα, καὶ ὄντα, *quæ cum naturâ duo ſint, in unum conjuncta reputantur, & ſunt: quale eſt illud de marito & uxore dictum, non amplius ſunt duo, ſed caro una: & illud de viro perfecto, agglutinatus Domino, eſt unus Spiritus.* Quinetiam li- III.

† *Contr. Celſ. l. 6. p. 308.*

bro octavo diligenter cavet, ne ex his verbis Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*, aut ex hac ejus oratione, *Ut ego, & tu Pater, unum ſumus*, aut ex eo quod dixerit, *Ego in Patre, & Pater in me*, colligeretur unam numero eandemq; eſſe Patris & Filij eſſentiam. Cum enim ex ijs contendiſſet, Chriſtianos non alium colere præter Deum univerſorum Dominum, * " Ne, inquit, quiſpiam his motus, vereatur
* *Contr. Celſ. l. 8. p. 385, 386.* " fugere nos ad eos qui inficiantur δύο ὑποστάσεις
" ἀ πατέρα καὶ υἱὸν, *duas eſſe ſubſtantias Patrem &*
" *Filium*; audiat illud, *Erat autem omnium credentium*
" *tium cor unum, & anima una*, ut intelligant il-
" lud, *Ego & Pater unum ſumus.* Diſſertationem deniq; hanc ſic claudit: " Religioſe itaq; colimus
" Patrem veritatis, & Filium veritatem, ὄντα δύο
" τῇ ὑποστάσει πράγματα, *quæ quidem ſubſtantia vel ſubſiſtentiâ res duæ ſunt*, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταυτότητι βουλήματος, *unum vero concordia, conſenſu, & voluntatis identitate.* Et pagina ſequente, eos dicit temere ſentire, qui putaverint Salvatorem eſſe ἐπὶ πᾶσι θεὸν, *Deum ſuper omnia: aliud enim facere nos qui Chriſto credimus dicenti, Pater qui me miſit, major me eſt.* " His, inquit †
† *Origen. l. 2. c. 2. §. 7. & p. 32.* " *Huetius*, vulgatam ſubjicit *Hæſchelius* ex *Athanaſio* reſponſionem: Major eſt, non magnitudine aliqua, aut tempore, ſed propter generationem
" ex ipſo Patre. Et alteram hanc, ὡς θεὸς θεοῦ, ἀλλ',
" *non ut Deus Dei, ſed ut Pater Filij qui humanam ſuſcepit naturam.* At ea, ut vere dicam,
" parum ad rem. Affirmabant quidam Chriſtum
" eſſe univerſorum Deum, idq; vere, & orthodoxe.
" Pertinet illud ſane ad divinam Chriſti naturam,
" non ad humanam. Negat è contrario *Origenes*,
" Servatorem eſſe univerſorum Deum; quod inde
" probat, quia *Patre minor eſt.* Divinæ ergo
" Chriſti naturæ detrahit ſupremam illam θεότητα
" *Deitatem* ſupra res univerſas, & Patri addicit.
" Proindeq; μειόνει τινὶ, &, ut Deum Deo, inferio-
" rem

" rem Patre Filium ſtatuit, non ut hominem Deo.
" Porro Patrem & Filium duo eſſe ait ὑποστάσει,
" unum conſenſu & concordia. Atqui ὑπόστασις pro
" οὐσία priſcis temporibus ſolebat uſurpari ab *Ethnicis*, & *Chriſtianis*; &, teſte * *Hieronymo*, *tota* * *Epiſt. 57. ad Damaſum.*
" *ſæcularium literarum ſchola* nihil aliud ὑπόστασιν niſi
" οὐσίαν novit. Ita ſumpſerunt *Nicæni* Patres, ita
" *Sardicenſes*, ita & ſumſiſſe *Origenem* veriſimile
" eſt.

4. Quod deniq; dicit, Filium μονογενῆ καὶ θεὸν IV.
πνὰ *propemodum & quodammodo* eadem prorſus poteſtate honoratum, & honorandum; *Gregorij* orthodoxiam ſuſpectam reddit. Quorſum etenim duplicis diminutivi fræno, orationis ſuæ curſum reſtringeret, ſi de honore & poteſtate ejuſdem numero cum Patre eſſentiæ loquutus eſſet, non autem de poteſtate à Patre data, & honore ei à ſummo Deo conceſſo? De quo ſic † *Origenes*; " Non po- † *Contr. Celſ. l. 8. p. 384.*
" teſt *Celſus* oſtendere, quod *Alcinoo* conceſſum
" eſt à Deo ſummo honorari; nos autem evidenter
" demonſtrare poſſumus à Deo conceſſum eſſe, ut
" *omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem.*
Atq; ita *Gregorij* hanc diſſertationem ex *Origene*, Divino ejus præceptore, ſatis explicavimus.

Reliquum eſt ut paucis oſtendam, quædam in V.
oratione hac contineri, quæ *Præſulis* ſententiam deſtruere videntur. (1°.) Itaq; agnoſcit ‖ *Gregorius* ‖ *P. 53. edit. Voſ.*
imparem ſe eſſe τῷ τῶν ὅλων qui rerum omnium Deo gratias ageret, atq; adeo relinquere ſe id officij Salvatori, animarum noſtrarum Præſidi, qui ſolus dignus eſt gratias agere pro nobis omnibus, & ὑπὲρ ἑαυτοῦ *pro ſeipſo*. Ubi non tantum unigenitum hoc Verbum à Deo rerum omnium clare diſtinguit, ſed ab eodem gratias agendas eſſe docet, non tantum pro nobis, ſed *pro ſeipſo*. Quod quidem Chriſtum in ſortem eorum deprimit, qui Deo ſupremo gratias rependere ob collata in ipſos beneficia debent. Pagina ſequenti hanc eſſe pietatis viam profitetur,

omnem memoriam (bonorum à Patre ad nos profluentium) per Filium, omnium Opificí & Auctorí dedicare, utpote qui est Sermo sufficiens & animatus πρὸς τὸν νῦν *primæ mentis*. Ubi sermonem hunc ab omnium conditore iterum distinguit, & primæ mentis sermonem nuncupat. Quod cum his *Origenis* verbis de Filio collatum, (τὸ ἐν αὐτῷ θέλημα εἰκὼν τοῦ πρώτου θελήματος, καὶ ἡ ἐν αὐτῷ θεότης, εἰκὼν τῆς ἀληθινῆς θεότητος, *ejus voluntas est imago primæ voluntatis, & ejus divinitas veræ divinitatis imago est,*) indicat aliam à prima mente & voluntate fuisse Filij Dei mentem, & voluntatem.

Notandum est deniq;, nec *Gregorium Thaumaturgum*, qui, teste *Basilio*, Christum in creaturarum censum depressit, nec *Dionysium Alexandrinum*, qui, teste eodem, τὸ ὁμοούσιον sustulit, de propria Christi æternitate recte sentire potuisse. Quæ ex adverso producit *Præsul Cl.* ex ementito *Gregorij* symbolo, pro fictitijs habenda sunt; quæ ex *Dionysij* Epistola ad *Paulum Samosatenum* scripta, ejusdem sunt furfuris; est enim, notante *D. Millio*, νοθεία haud uno nomine suspecta. *Not. in* 1. *ad Timoth. c.* 3. *com.* 16.

Sectio Septima.

Utrum sex Episcopi Concilij Antiocheni, *unam numero esse Patris & Filij essentiam sive substantiam docuerunt?*

I. UNUM adhuc restat, in quo triumphat *Præsul Cl.* nempe quod *Antiocheni Concilij Episcopi sex* Verbum hoc, sive Dei Filium non præscientia tantum, ἀλλὰ καὶ οὐσίᾳ, καὶ ὑποστάσει, *sed etiam* sub-

ſubſtantia & ſubſiſtentia Deum eſſe aſſerunt. Quibus opponere fas eſſet *Antiochenum Conventum* A. D. 340, in *Encænijs* celebratum, " qui Patrem vere Pa-" trem, Filium vere Filium, & Spiritum Sanctum vere " Spiritum Sanctum conſtituunt, τρία ὑποστάσει, συμφωνίᾳ δὲ ἕν, id eſt, interprete *Hilario*, *ſubſtantia tria, conſenſu vero unum.* Sed ipſa verba in quibus teſtimonij hujus vim poſitam eſſe *Præſul* exiſtimat, inſpiciamus. Ea fateor Dei Filium ante ſæcula Deum fuiſſe, non tantum divina præſcientia, quod quibuſdam placuit, ſed etiam θεὸν ἐνυπόστατον verè & vera eſſentia ſubſiſtentem aſſerunt, contra *Sabellij* delirium, qui nominis tantum & οἰκονομίας diſcrepantiam inter S. *Triados* perſonas agnoſcebat; Patres autem hoſce eandem numero Patris & Filij eſſentiam poſuiſſe, nec verba indicant, nec ea quæ ab ipſis poſtea dicuntur, nos credere permittunt. Exemplis rem claram præſtabimus. 1°. Igitur *Origenes* animoſius inſurgit contra paria *Noeti* dogmata, magnaq; contentione diſputat adverſus eos qui Dei Filium θεὸν ἐνυπόστατον nuncupabant; & ὅτι ὑπόστασιν οὐδὲ οὐσίαν αὐτῷ δίδασιν, nec ſubſiſtentiam nec ſubſtantiam ei tribuebant. Eundem tamen Filium à Patre ἕτερον καθ' οὐσίαν alium ſecundum eſſentiam, Patrem & Filium δύο τῇ ὑποστάσει duas eſſe ſubſtantias, δύο ὑποστάσει πράγματα duas ſubſiſtentia res, unum concordia & conſenſu conſtituiſſe, ex dictis ſectione 1ma & 6ta manifeſtum eſt. Eſtq; notatu digniſſimum, *Anonymum* quendam, *Origenis Apologiſtam* apud * *Photium*, ingenuè agnoſcere *Origenem*, contra *Sabellij*, id eſt, *Noeti* Hæreſin, diſputantem, παρὰ τὸ φρονούμενον, καὶ εἰς ἐναντίον ἀπενεχθῆναι, ἐξ ὧν λέγει καὶ τοῦ Ἀρειανῶν ἀῤῥωστήματι ἁλωκέναι, *ultra id quod decuit, in contrariam partem abreptum fuiſſe, viſumq; eſſe Arianorum morbo correptum:* Idemq; de *Dionyſio Alexandrino*, & *Gregorio Thaumaturgo M. Baſilium* pronuntiaſſe conſtat; adeo ut mirum non ſit Epiſcopos hoſce eodem hic modo ceſpitaſſe: Quod jam ex eorum

* *Cod.* 117. *p.* 296.

verbis probare aggredimur. Dicunt igitur 1°. hunc Filium semper apud Patrem existentem, in mundo creando ἐκπεπληρωκέναι τὸ πατρικὸν βούλημα *paternam implevisse voluntatem*; ipse enim (Pater) dixit & facta sunt, αὐτὸς ἐνετείλατο *ipse mandavit, & creata sunt*, ὁ δὲ ἐντελλόμενος ἑτέρῳ, ἐντέλλεται τινὶ, *qui autem mandat alteri, cuidam mandat, quem non alium esse persuasi sumus quam unigenitum ejus Filium.*

* *Concil. Tom.* 1 *ed. Lab. p.* 845.

II. Frustra hic se recipit *Præsul Cl.* ad solitum subordinationis effugium, dicens, hæc referri debere ad subordinationem Filij ad Patrem tanquam principium, & auctorem suum. Solutionem enim hanc plane respuunt verba allata; nam subordinatio ista non constituit Filium Deum à Patre alium, sed tantum *personâ* alium. Dicunt autem hic *Episcopi* hi, Deum Patrem ἑτέρῳ τινὶ *alteri cuidam* mandasse. 2°. Subordinatio hæc non constituit alteram Filij voluntatem à Patris voluntate; eadem enim essentia eandem exigit voluntatem; qui autem in mundo condendo *alterius voluntatem implet*, ut alteram ab eo habeat voluntatem, necesse est. 3°. Mandasse Deum Patrem ἑτέρῳ τινὶ *alteri numero cuidam*, & secundum essentiam, potestatem, & voluntatem diverso, est sane consonum Theologiæ secundi & tertij sæculi, nempe † *Justini M.* qui Filium ἑνυπόστατον id est, essentia & subsistentia præditum esse agnoscit; & tamen eundem ἕτερον ἀριθμῷ *numero alterum* à Patre constituit, eidem non tantum ut Patri, sed etiam ut Domino suo subditum, ejusq; τῇ βουλῇ ὑπηρετοῦντα, voluntati, in mundo producendo, inservientem.

† *Dial. cum Tryph. p.* 358.

Origenes ex his ipsis *Psalmistæ* verbis colligit, ‖ immediatum mundi Opificem Dei Filium esse, Patrem vero, cujus mandato Filius hunc mundum condidit, esse ejusdem Opificem primarium. Quanquam etenim * πάντα διὰ τοῦ λόγου ἐγένετο *omnia per Verbum* (i. e. ejus ministerio) *sunt facta*, οὐχ ὑπ' αὐτοῦ

‖ *Contr. Cels l.* 6. *p.* 317.

* *Com. in Joh. p.* 56.

ἀυτῦ, ἀλλ' ἀπὸ κρείττονος καὶ μείζονος παρὰ τὸν λόγον, *non tamen ab eo, ſed à Patre Verbo majore, & præſtantiori.* Quo in loco effugium hoc *Præſulis* excludit dicendo, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum τρεῖς ὑποστάσεις *tres eſſe ſubſtantias*, ſive ſubſiſtentias, conſenſu vero unum. Huc etiam referenda eſt * *Euſebij* obſervatio, non dixiſſe Evangeliſtam, omnia facta eſſe ὑπ' ἀυτῦ, ἀλλ' ἐξ ἀυτῦ *ab vel ex ipſo*, ſed δι' ἀυτῦ *per ipſum*; ἡ δὲ διὰ προθεσις τὸ ὑπηρετικὸν σημαίνει, *præpoſitio autem* per, *miniſteriale quiddam ſignificat.* Idem deniq; dicendum eſt de *Methodio*, qui Patri & Filio, in mundi creatione, duas poteſtates effectrices, circa diverſa objecta occupatas, tribuit.

* *Eccl. Theol. l. 2. c. 14.*

III. 2°. Agnoſcunt hi Patres hunc Dei Filium deſcendiſſe, & viſum eſſe *Abrahæ* ſub quercu *Mambre*, & ἕνα τριῶν (lege ἕνα τῆς τριῶν) *unum ex tribus fuiſſe, cum quo Patriarcha, tanquam cum Domino & judice loquebatur, utpote qui omne judicium à Patre accepiſſet, quiq; nunc Angelus, nunc Dominus, & Deus appellatur*; τὸν μὲν γὰρ θεὸν τῆς ὅλων ἀπάσης Ἄγγελον νομίσαι καλεῖσθαι, *impium enim eſt exiſtimare univerſi Deum, Angelum vocari*; *Filius autem eſt Angelus Patris*, ἀυτὸς κύριος, καὶ θεὸς ὤν, *ipſeq; etiam Dominus, & Deus eſt.* En quam clare hi Patres Deum Filium à Deo totius Univerſi diſtinguunt, huncq; in terris Dominum omnem poteſtatem ſuam exercendi judicium in *Sodomitas* à *Domino in cælis* accepiſſe, dicuntq; ei nomen illud in Scripturis tribui, quod Deo Univerſi impium plane eſſet adſcribere. Hic autem *Præſul Cl.* pro reſponſo ſonum ſine ſenſu exhibet; " nempe hæc omnia ad οἰκονομίαν " illam quam mox à lapſu hominis ſuſcepit Dei " Filius, *referenda eſſe.* De Filij enim in carne οἰκονομία multa à Patribus audivimus, de Filij à lapſu Adami οἰκονομία ante incarnationem vix aliquid; *Præſulis* autem ſenſu, nihil. Porro Oeconomia quæ Filium Patri ſubditum, ei miniſtrantem,

tem, ejus mandata exequentem, voluntatem implentem, nihilq; unquam nisi quod Pater voluit, præstantem constituit, facile est intelligere juxta Patrum multorum *Antenicænorum* principia, qui Patri & Filio δύο ὑποστάσεις, δύο φύσεις, δύο οὐσίας *duas substantias, naturas, & essentias* tribuebant, eosq; esse δύο πράγματα numero diversa constituebant. *Oedipo* autem opus est ut intelligas, quomodo hæc omnia dici possunt de una eademq; numero essentia, eadem voluntate, potentia, & Deitate prædita. Cum enim Actiones non sunt personalitatum, sed essentiarum; nec potest is alterius voluntatem implere, qui non habet alteram ab eo voluntatem; cum, juxta Patrum horum sententiam, *qui mandat, alteri cuidam mandat*, & qui *potestatem ab altero accipit*, alius est ab eo à quo accipit; cum juxta * *Tertullianum, alius est qui mittit, alius qui missus est: † nec Pater potest dici missus, ne subditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur; etsi ubiq; teneo unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui jubet, & eum qui facit. Nam nec juberet, qui ipse faceret, dum juberet fieri per eum; tamen jubebat, haud sibi jussurus, si unus esset, aut sine jussu facturus, quia non expectasset ut sibi juberet.*

* *Contr. Prax. c. 9, 13.*

† *Novat. de Trin. c. 22.*

IV. Perlegat attentius quispiam *Justinum, Theophilum, Tertullianum, Novatianum, Eusebium Cæsariensem*, de hisce Dei Filij cum *Adamo, Patriarchis*, & *Mose* commercijs differentes, & inveniet eorum aliquos disertis verbis pronuntiantes, absurdum & impium esse hæc Patri adscribere, quæ Dei Filio tribuuntur; nec posse ibidem *Scripturas* de eodem numero Deo loqui: aut non minus perspicue dicentes, eum qui cum *Patriarchis* versatus sit, non *Deum Universi*, aut *Deum super omnia*, fuisse; sed alium ab ipso, in persona non sua, sed Patris, asserentem se Deum esse *Abrahæ, Isaaci*, & *Jacobi*: vel deniq; hoc Argumento utentes, quod Angeli nomen

nomen non poteſt, ſine impietate, Deo Patri tribui. * *Abſit enim*, inquit * *Novatianus*, *Deum Patrem Angelum dicere, ne alteri ſubditus ſit cujus Angelus fuerit*: Et ex his ſatis intelliget, ex Patrum horum ſententia, Filium Dei alium à Patre fuiſſe numero, eſſentia, poteſtate, & voluntate. V.

* *Cap.* 26.

Nec obſtat quod hi Patres reprehendunt eos qui contenderent, quod Deum Patrem, & Deum Filium agnoſcere, eſſet duos Deos ponere. " Si quis " enim vereatur, inquit † *Euſebius*, nos duos " Deos prædicare, quod Dei Filium Deum agno- " ſcimus; ſciat nobis Unum Deum ſolum eſſe, eum " nempe qui ἀναρχος, καὶ ἀγεννητος *ingenitus eſt*, & " *principio carens*, & qui ipſi Filio cauſa eſt ut ſit, " & taliter ſit. Et rurſus; ‖ " Non neceſſe eſt eum " qui δύο ὑποστάσεις duas ſubſtantias ponit, duos pa- " riter Deos agnoſcere: ὅτε γὰρ ἰσοτίμους αὐτὰς ὑπεζώμεθα, οὐδ' ἄμφω ἀνάρχους, καὶ ἀγεννήτους, " nec enim illas " honore pares conſtituimus, nec ambas principio " carentes, & ingenitas". Hinc centies *Irenæus* Deum Patrem, Unum, verum, ſolum Deum, pronuntiat; nec tamen rarius Verbum & Dei Filium, Deum, & cum Patre Deum eſſe contendit. VI.

† *Contra Marcel. l.* 1. *c.* 1.

‖ *Ibid. l.* 2. *c.* 7.

Deniq; luculentum indicium exhibet hæc ipſa epiſtola, Patres hoſce de Chriſti τῷ συναΐδιῳ cum *Præſule* eandem ſententiam amplexos non eſſe: Quod *fidem à principio traditam & ſervatam in catholica & ſancta Eccleſia uſq; in hodiernum diem à beatis Apoſtolis prædicatam, ex lege, & prophetis, & Novo Teſtamento*, ſic exhibent, ὅτι εἷς θεὸς ἀγεννητος καὶ ἀνάρχος *quod unus eſt Deus ingenitus, & principio carens, cujus Filius eſt genitus, unigenitus, imago inviſibilis* & πρωτότοκος πάσης κτίσεως *totius creationis primogenitus*. Ex quibus clare conſtat, juxta fidem à principio traditam, ab *Apoſtolis* prædicatam, & à *Catholica Eccleſia* ſervatam, Patrem ſolum eſſe Deum ἄναρχον ſive principio carentem, juxta Patrum horum ſententiam.

SECT.

Sectio Octava.

Sectione hac summatim & breviter de alijs ejusdem ætatis Patribus agitur, quorum vel nulla prorsus scripta ad manus nostras pervenerint, vel tantum fragmenta quædam dubiæ & incertæ fidei, & aliena manu, post multas annorum centurias collecta; ex quibus vix certum aliquid colligi posse existimamus.

I. Incipimus à *Caio Romano Presbytero*, qui, * *Photio* Judice, de Christo (vero nostro Deo) ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ, *ut proxime ad veritatem accedens disserit, nomen Christi ei tribuens, & inenarrabilem ejus ex Patre generationem inculpate* describens. Ubi notandum (1°.) Hæc verba τὸ ἀληθινῦ θεῦ ἡμῶν, in quibus vis tota hujus Testimonij sita est, non esse *Caij*, sed ipsius *Photij*, ut ex orationis serie manifestum est. Notandum 2°. quod ex ijsdem indicijs ex quibus *Photius Caij* Theologiam laudat, nempe quod Filio Dei nomen *Christi* tribuit, & *inenarrabilem ejus ex* Patre *generationem recenset*, de *Eusebio Nicomediensi*, & *Cæsariensi*, *Arianisq;* fere omnibus idem judicium ferre debuit: ij enim libere agnoscebant Filium ἀῤῥήτως, ἀφράστως, ἀκαταλήπτως à Patre genitum fuisse, *ejusq; generationem nemini notam fuisse, nisi soli Patri qui eum genuit:* Uti videre est apud *Athanasium* de Synodis, p. 695, 696, 697. Vide *Euseb. Nicomed.* epistolam ad *Paulinum Tyri Episcopum*; & † *Eusebium Cæsar.* agnoscentem Dei Filium ἀλλέκτοις καὶ ἀῤῥήτοις, καὶ παντάπασιν ἀγνώστοις ἡμῖν, καὶ ἀκαταλήπτοις λόγοις ἐκ τῦ πατρὸς γεγεννημένον *ex Patre genitum ineffabiliter, incomprehensibiliter, & modo omnibus hominibus ignoto & inenarrabili.* 3°. Agnoscimus *Caium*, in eo quod supersit fragmento, dicere omnes qua justos, qua injustos,

* *Cod.* 48. *p.* 36.

† *Contra Marcel. l.* 2. *c.* 8.

injuſtos, *coram Deo Verbo, quem Chriſtum nominamus, ſiſtendos eſſe*; hunc autem agnoſcit Judicem conſtitui, *eo quod Pater huic omne judicium dederit*, quod itidem exercet πατρὸς βυλὴν ἐπιτελῶν *Patris voluntatem peragens.* Qui autem poteſtatem judicialem ab alio accipit, eamq; juxta alterius arbitrium exercet, is certe Summus Deus dici non poteſt, nec adeo συναΐδιος *coæternus.*

II. Sequitur *Hippolytus*, cujus teſtimonia *ex Anaſtaſij*, ſeptimi aut octavi ſæculi Scriptoris collectaneis, allata, vitioſa nuce non emerim; ſunt enim omnia ex libro, de *Theologia* & *incarnatione*, deſumpta, quem multis nominibus ſuſpectum reddit Cl. *Le Moyne.* Quibus addo quod *Theodoretus*, ad calcem Dialogorum trium, *Hippolyti* teſtimonia annectens, nuſquam nos mittit ad tractatum hunc, præ alijs omnibus ad ſententiam quam propugnabat ſtabiliendam, facientem; & præſertim in *Dialogo* cui Titulus, *inconfuſus.*

III. Probabilius de *Hippolyti* mente judicium ferendum eſt ex ejuſdem cum *Origene* familiaritate, & amore ejus erga ejuſdem opera. Teſte etenim * *Photio*, *Origene* valde familiariter utebatur, eumq; imitando, etiam *Origene* præſente, homilias ad populum habuit; tantaq; admiratione *Origenis* ſermones ſuſcepit, ut ad divinam Scripturam commentario illuſtrandam hortatu eum impulerit, additis ſuo ſumptu ſeptem notarijs, qui dictata celeriter exciperent, totidemq; Librarijs qui accurate deſcriberent. Et quoniam opus quodvis ab *Origene* elaboratum ſine intermiſſione exigere ſolebat, ipſius ἐργοδιώκτης ab *Origene* eſt dictus. * *Cod.* 121.

De *Pamphilio*, utpote *Pierij M.* diſcipulo, *Euſebij Cæſarienſis* familiari, *Origenis* præ alijs defenſore, non minus certum judicium ferendum eſt. Nec enim tanta animorum conſenſio diu obtinere ſolet inter eos qui de capitali fidei dogmate diſſentiunt; nec inter Orthodoxos in mortis confinio exiſtentes,

istentes, tantus ardor Hæresin extenuandi, nedum excusandi. Quæ ex *Ruffini Apologia* adfert *Præsul Cl.* ut responsione protinus indigna, missa facio.

Caput Quartum.

Accedimus tandem ad quarti sæculi Scriptores tres; *Arnobium Afrum*, *Lactantium*, & *Eusebium Cæsarienſem*; quos omnes inter *Catholicos* Scriptores, cum fidei *Nicænæ* placitis consspirantes, enumerat *Præsul Cl.*

Sectio Prima.

1. Et primo de *Arnobij Afri* testimonijs, non multis laborandum est: Is enim, cum hos libros elucubrasset, ex Gentilium tenebris recens evasit, nondum sacro Baptismate initiatus, nec fidei Christianæ doctrinis satis instructus: Unde nec mirum est, fatente *Cavio*, si dogmata quædam habuisset *minus Catholica.* Ergo ijs quæ ex hoc Authore *Præsul Cl.* collegit, hæc ejusdem *Arnobij* opponere satis judico.

*L. 1. p. 14. * *Nihil*, inquit, *aliud sumus Christiani quam, magistro Christo, summi Regis ac principis veneratores; nihil, si consideres, aliud invenies in ista Religione versari. Hæc totius est summa actionis, divinorum officiorum hic finis.* † *An vero*, inquit, *Deum principem, rerum cunctarum, quæcunq; sunt, Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare,---execrabilis Religio est, & infausta, impietatis, & sacrilegij*

† *Ibid.* p. 13.

plena? * *An ulla eſt Religio verior, officioſior, potentior, juſtior, quam Deum principem noſſe, ſcire Deo principi ſupplicare, qui bonorum omnium ſolus caput, & fons eſt.* Deniq; ad quæſtionem Ethnicorum, *Cur alios nobiſcum neq; Deos colitis, neq; adoratis?* † *Poſſumus*, inquit, *dicere, ad cultum Divinitatis obeundum ſatis eſt nobis Deus primus, Deus*, inquam, *primus, Pater rerum, ac Dominus, conſtitutor, moderatorq; cunctorum. In hoc omne quod colendum eſt, colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur.*

* *Ibid.* p. 43. l. 2.

† L. 3. p. 100, 101.

Cum ergo *Arnobius Chriſtianos*, ſummi regis & principis, Dei principis, & rerum cunctarum Domini, Dei primi, ſummitatis omnium ſummorum, cultores conſtituit, & ſub his titulis ſolum Deum Patrem certo certius intelligit; cum in hoc uno colendo dicit *Chriſtianos omne quod* (ſummo honore) *colendum eſt, colere*; quod adorari convenit, adorare; nihilq; aliud in iſta Religione verſari; & deniq; Chriſtianos omnes à magiſtro Chriſto edoctos eſſe *ſummum hunc principem, & primum Deum* ita colere; certum eſt, ex *Arnobij* ſententia, Chriſtum nec eſſe ſummum Regem, nec Deum principem, nec primum Deum, ſed Deum hoc ſummo, principali, & primo Deo inferiorem, nec pari honoris gradu, juxta magiſtri Chriſti doctrinam, adorandum.

II.

Eſto igitur *Chriſtus* ‖ *Deus re certa, & ſine ullius rei dubitationis ambiguo, immo inferiorum potentiarum Deus:* Eſt tamen, eodem notante, *Deus* * *à ſummo Rege ad nos miſſus, & ex cœlis hujus ſummi Numinis miniſtrator adveniens*, atq; adeo Deus alius ab hoc ſummo Rege, & Numine.

‖ L. 1. p. 24.

* *Ibid.* p. 27.

Eſto * *Deus ſublimis, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis*; eſt tamen, eodem *Arnobio* ibidem fatente, Deus *ab omnium principe ſoſpitator miſſus.*

† *Ibid.* p. 32.

Eſto

* P. 29. Esto deniq; * *verus Deus*, & *regalis potentiæ*; non tamen est talis, juxta *Arnobium*, ob eandem cum summo Rege essentiam ipsi communicatam; sed *quoniam proprium est veri Dei, potentiæq; Regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime.* ibid.

† P. 23. Esto iterum, † *illum quam maxime à nobis coli, & præsidem nostri corporis nuncupari: inconfusis tamen gradibus, & auctoritatibus, quod cuiq; debetur personæ, & capiti, is honor tribuendus est.* Esto *divinitatis cultu quam maxime afficiendus*; non tamen quod eandem cum summo & primo Deo essentiam habeat, sed quod *ab eo tanta accepimus bona viventes, & expectamus, dies cum venerit, majora.*

‖ L. 2. p. 67. ‖ *Quid enim alienum facimus*, inquit *Arnobius*, *aut stultitiæ crimen quibus rationibus sustinemus, si ejus nomini, majestatiq; substernimur, à quo speramus utrumq;, & mortem cruciabilem fugere, & vitæ æternitate donari?* Qui autem veram & unicam Deitatis Christi rationem nusquam assignat, impropriam vero ejus loco semper substituit, eum de individuali Christi cum summo hoc & primo Deo essentia non idem sensisse cum Patribus *Post-Nicænis*, quibus solenne est pro hac divinæ essentiæ utriusq; unitate tanquam pro aris & focis contendere, æquum est judicare.

III. Quod autem dicit *Præsul Cl. Catholicum esse Arnobium dicendo, Christum in mundum venisse, ut Patris imperium servaret, quatenus scilicet ad Filij exinanitionem, qua assumpta servi forma, Deo Patri obediens factus est, refertur*; id si *Præsul Cl.* non ex seipso dixisset, sed ex *Arnobij* verbis probasset, res esset serius expendenda. Constat autem *Arnobium* nusquam tale aliquid protulisse, sed contra

* L. 1. p. 32. l. 2. p. 85. continuo dicit, * Christum *de cælis, summi numinis ministratorem advenisse, Deum, ab omnium principe* (Deo) *& à summo Rege, rei maximæ causa*, ad nos missum, atq; adeo ante incarnationem *summo*

huic Numini, Regi, & principi ſubditum fuiſſe; eundem in mundum venientem ſummi Numinis miniſtrum fuiſſe, Dei principis juſſu loquutum eſſe, reſq; eas ob quas in mundum venerat faciendas, exequutum eſſe, ſummi Regis imperio & diſpoſitione ſervatis. Quid ergo manifeſtius eſſe poteſt, quam eum qui *in cœlis in Dei forma eſſet*, juxta *Arnobij* ſententiam, Deum à ſummo numine, Rege, ac Principe diſtinctum fuiſſe, eidem ſummo numini in terris miniſtraſſe, Dei hujus principis juſſu loquutum eſſe, ſummiq; Regis imperium ſibi nunquam vendicaſſe?

Deniq; ea quæ ex *Arnobio* adducit *Præſul Cl.* ad Chriſti æternitatem ſtabiliendam, ſunt adeo ἀνεσόδυνα, ſive ad rem nihil pertinentia, ut nec ſpeciem argumenti exhibeant. *Arnobius* adverſus Gentiles diſputans, Dijs formas & ſpecies humanas tribuentes, * *noſtra*, inquit, *de hoc ſententia talis eſt; naturam omnem divinam, quæ neq; cœperit eſſe aliquando, nec vitalem ad terminum ſit aliquando ventura, lineamentis carere corporeis, nec ullas formarum effigies poſſidere.* Quis hic tam perſpicax, & acutum cernens, ut hîc æternæ Verbi exiſtentiæ leviſſimam umbram conſpiciat? In ſecunda ſententia gentibus Deos quamplurimos agnoſcentibus, & *qui ſint Dij veri, quærentibus*, reſpondet *Arnobius* his verbis; † *Tales eſſe debere qualis Dominus rerum eſt, atq; omnipotens ipſe, quem dicere nos omnes Deum ſcimus atq; intelligimus verum, cum ad ejus nominis acceſſimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quo Deus eſt, nulla in re differt; nec quod unum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus, aut plus poteſt, qualitatis propriæ uniformitate ſervata.* Quis ſatis mirari poſſit *Præſulem Cl.* ex verbis de uno Deo Patre, quem ſolum *Deum verum* pronuntiat, & cujus nominis mentionem tantum fecit; non tantum Verbi æternitatem, de qua ne verbo quidem loquitur *Arnobius*, ſed integræ Trinitatis

IV.

* L. 3. p. 107.

† L. 7. p. 212.

tis unitatem colligere potuiſſe? An enim Deus Filius & Spiritus Sanctus, Deus genitus & procedens, ab eo, à quo genitus eſt, & procedit, nulla in re differt? An unum genere tantum Deum conſtituunt? An Filius & Spiritus Sanctus inter partes Dei Patris numerandi ſunt? Hoc ergo tantum in his verbis contendit *Arnobius*, non poſſe unum Deum in partes, aut partiales Deos, prout Ethnici ſentiebant, dividi; nec multos Deitate pares, aut plus aut minus non habentes, ſtatui.

V. Ex adverſa parte Argumenta occurrunt in *Arnobio* fortiſſima, & propria luce conſpicua.

1mo. Ex deſcriptione quam exhibet Dei primi, principis, & ſummitatis ſummorum; *is enim*, inquit *Arnobius*, * *ex mente una omnium, & communi mortalitatis aſſenſu, neq; genitus eſſe ſcitur, neq; novam in lucem aliquando eſſe prolatus.* Is ergo qui genitus eſſe ſcitur, nec primus, nec princeps Deus eſſe poteſt. Et rurſus; † *Si omnes concedimus unum eſſe rerum Patrem, immortalem, & ingenitum ſolum, ſequitur ut hi omnes quos opinatio credidit eſſe Deos mortalium, aut ab eo ſint geniti, aut eo jubente prolati. Si ſunt prolati & geniti, & ordinis ſunt poſterioris, & temporis: Si ordinis poſterioris, & temporis, ortus neceſſe eſt habeant, & exordia nativitatis.* Deniq; ‖ *Omnipotens*, inquit, *& primus Deus, nonne ſolus ingenitus, & immortalis, & perpetuus ſolus eſt?*

* L.1.p.19.

† L.2.p.67.

‖ L.2.p.95.

2°. Ex ijs quæ dicit de Dijs genitis, aut ex uno Deo principe aliquo modo procedentibus. † *Nobis*, inquit, *ſunt aſperrimi Dij hoſtes, quia Patrem veneramur illorum per quem, ſi ſunt, eſſe & habere ſubſtantiam ſui nominis majeſtatiſq; cæperunt, à quo ipſam Deitatem, ut ita dicam, ſortiti ſe eſſe ſentiunt. Nam ſi omnes concedimus unum eſſe Deum principem ſolum, quem nulla res alia vetuſtate temporis antecedat, poſt illum neceſſe eſt cuncta & nata eſſe & prodita, in ſui numinis pro-*

†L.1.p.15, 16.

proſiluiſſe naturam. Poſt ergo hunc principem Deum ſolum, Filium ejus natum eſſe neceſſe eſt. Et rurſus; *Aut nativitatis expertes eſſe Deos cenſemus, aut ſi aliquos ortus habeant, à Domino rerum ac principe, rationibus quas ipſe novit, ipſos ducimus atq; exiſtimamus eſſe miſſos.* Chriſtum autem à Deo principe & ſummo Rege ad nos miſſum eſſe dicit: Eſt ergo Deus ortum habens. Deniq; *ſi modo Dij certi ſint, habentq; hujus nominis auctoritatem, poteſtatem, dignitatem; aut ingenitos eſſe cenſemus, hoc enim religioſum eſt credere; aut ſi habeant nativitatis exordium, Dei ſummi eſt ſcire quibus eos rationibus fecerit, aut ſæcula quanta ſint ex quo ijs attribuit perpetuitatem ſui numinis inchoare.*

Sectio Secunda.

De Lactantij *ſententia.*

CUM tot ſint Scriptores ſummi judicij, qui de *Lactantij nævis Theologicis* lectorem monitum fecerint, eumq; cum claro *Huetio*, de *S. Trinitatis myſterio indigna & intoleranda profudiſſe* aſſerant; alijs omnibus omiſſis, uno *Cavio*, in judicio de Patrum ſcriptis ferendo nemini ſecundo, contentus ero. *Nævos*, inquit, *qui in ejus ſcriptis notantur de Divinitate, de æterna Filij exiſtentia, aliiſq; capitibus, in quibus obſcure, incaute, quandoq; etiam periculoſe locutus ſit, excuſabunt apud candidos rerum æſtimatores, ſæculi quo vixit circa iſtas res imperitia*, dogmata *ipſa paulo abſtractiora, necdum à Theologis dilucide explicata, nec Synodorum decretis definita, & in quibus* ὁμοῦσιος *habuit complures præcedentium ſæculorum Patres.* Quam vere, quam clare, quam ingenuè rem ipſam confitetur, vir in his rebus *verſatiſſimus*! Et

I. Primo, in luto plane hæsitat *Præsul Cl.* cum hæc *Lactantij* verba in causæ suæ subsidium adducit: *exorsus igitur Deus fabricam mundi, illum primum & maximum Filium præfecit operi universo, eoq; simul & consiliatore usus est, & artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisq; rebus; quoniam is & providentia, & ratione, & potestate perfectus est.* Ubi operæ pretium non est in lusu *Præsulis* de *perfecto* immorari; Norunt enim omnes mundum *perfectum*, hominem *perfectum* dici, omneq; illud *perfectum* appellari, cui nihil deest ad munera ipsi propria obeunda. Notandum potius *Lactantium* hic ostendere, hunc Filium non ab æterno genitum esse, sed, prout à *Septimio* didicerat, * à Deo summo, mundiq; opifice productum paulo ante mundi creationem; *Antequam enim*, inquit, *ordiretur Deus hoc opus mundi, quoniam pleni & consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper; ut ab eo bono tanquam rivus oriretur, longeq; profluueret, produxit similem sui Spiritum, qui esset virtutibus Patris præditus. Quomodo autem id fecerit* (juxta nonnullas editiones) *cum solus esset, in quarto libro docere conabimur.* Rem autem in 4°. libro sic explicat; † *Deus igitur, Machinator, constitutorq; rerum, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, sanctum, incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncupavit. Et quamvis alios postea innumerabiles per ipsum creavisset, quos Angelos dicimus; hunc tamen solum primogenitum divini nominis appellatione dignatus est, patria* scilicet *virtute* & *majestate pollentem.* Hinc inter *nævos Theologicos* ad finem libri positos, notatum invenies quod *Lactantius Filij Dei æternitatem non agnovit*: Et ad hæc verba, *hunc solum Divini nominis appellatione dignatus est, Gagnæus* hanc notam apposuit; *Immo hoc ex natura habet, non ex eo quod dignatus sit Deus illum divini nominis appellatione.* Hæc deniq;

* *L. 2. c. 8.*

† *Cap. 6.*

niq;, ni fallor, ea ſunt quæ *Præſulem* agnoſcere cogebant, *Lactantium, ex ignorantia S. Scripturæ, de modo generationis Filij perabſurda & ridicula tradidiſſe.* Contra hæc ſua luce conſpicua, & à tot viris eruditis inter *Lactantij* nævos numerata, unum hoc adducit *Præſul Cl.* quod l. 4. c. 9. τὸν λόγον *ſermonem, ſive rationem in principio, adeoq; ab æterno* fuiſſe apud Deum Patrem fateatur, poſt *Tertullianum*; Quaſi neceſſe eſſet vel *Lactantium* cum *Tertulliano* ſentire, vel *in principio* idem eſſe, ac *ſine principio. Tertulliani* veram de *prima* Filij *nativitate* ſententiam, de qua hic loquitur *Lactantius*, alibi monſtrare conabimur.

2°. Hunc Filium à Deo productum, immo *factum* fuiſſe, non minus clare pronuntiat. Id quidem obſcurè indicant hæc verba * libri ſecundi; *Produxit Spiritum ſui ſimilem, deinde fecit alterum qui in indole divinæ ſtirpis non manſit.* Hoc autem clarius enuntiat † libro quarto, ubi teſtes eorum quæ de Filij generatione differuerat, producit; 1°. *Triſmegiſtum*, his verbis differentem; *Dominus & Opifex omnium, quem Deum vocare conſuevimus,* δεύτερον ἐποίησε θεὸν *ſecundum fecit Deum*; *qui quoniam pulcher ipſi apparuit, & omnium bonorum pleniſſimus, ſanctificavit ipſum, & valde dilexit, ſicut proprium germen.* His adde, quod admodum periculoſe dicit, ‖ *Spiritum alterum quem Deus fecit, in ſtirpis divinæ indole non permanſiſſe, ſed ſuapte invidia tanquam veneno infectum, ex bono ad malum tranſcendiſſe. Hunc autem Deo Patri perſeverando, ei tam probatum, tam charum fuiſſe.* Quod *Arianiſmum* plane redolet, immo cum *Ebionitarum* quorundam ſententia conſpirat.

* Cap. 8.

† Cap. 6.

‖ L. 2. c. 8.

Ad ſecundum *Præſulis Cl.* argumentum ex libri quarti *cap.* 29. deſumptum accedimus. Ubi obiter notandus eſt *Præſulis* lapſus, legentis *æternum Deum*, ubi textus *alterum* Deum habet. Objectio autem à *Lactantio* propoſita hæc eſt. *Fortaſſe quærat aliquis* II.

quis quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen esse asseveramus, Deum Patrem, & Deum Filium? Cui dubio respondet *Lactantius* his verbis; *Cum dicimus Deum Patrem, & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumq; secernimus; quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius à Patre secerni; siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari; Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utriq; mens, unus Spiritus, substantia una est.* Et rursus; *Quapropter, cum mens & voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroq;, merito unus Deus uterq; appellatur, quia quicquid est in Patre, ad Filium transfluit, & quicquid in Filio est, à Patre descendit.*

Huic Argumento prima facie specioso, & in Patrum *Ante-Nicænorum* documentis minus versatis, solutu difficili, respondeo;

Primo, Κατὰ τὸ ἐιαῖον, monstrando quibus epithetis *Lactantius*, in hoc ipso libro, Deum Patrem à Filio discernit, & quo pacto Filio, Dei nomen & dignitatem adscribit. Est ergo Pater *Deus summus*: " Sic enim in principio processisse dispositionem
*L.4 N.10. " * *Dei summi* dicit, ut esset necesse, appropin-
" quante sæculi termino, Dei Filium descendere. Est etiam *Deus singularis, & verus*; " Idcirco
" enim missus est (Filius) à Deo Patre, ut univer-
" sis gentibus quæ sub cœlo sunt, † *singularis & veri Dei* sanctum mysterium revelaret, utq; *Unum*
" Deum gentibus nuntiaret. Et rursus; Filium
" suum legavit ad homines, ut eos converteret ab
" impijs & vanis cultibus, ad agnoscendum &
|| *Ibid.* " colendum || *Deum verum*: Ille vero exhibuit Deo
N. 14. " fidem, docuit enim quod unus Deus sit, eumq;
p. 395. " solum coli oportere; nec unquam se ipse Deum
" dixit, quia non servasset fidem, si missus ut Deos
" tolleret, & unum assereret, induceret alium præ-
" ter unum; hoc erat non de uno Deo facere præ-

" conium,

" conium, nec ejus qui miſerat, ſed ſuum propri-
" um negotium gerere, ac ſe ab eo, quem illuſtra-
" tum venerat, ſeparare.

De Filio autem aſſerit, " eum eſſe * Deum *creatum ſine opere genitoris*, Deiq; legatione perfun- * N. 25: p. 430.
" ctum, † ob eam virtutem quam ſimul docuit & † N. 16.
" fecit, ab omnibus gentibus meruiſſe, potuiſſe p. 401.
" Deum credi. ‖ Ob virtutem & fidem quam Deo ‖ N. 12.
" exhibuit, datum eſſe ei regnum, & honorem, & p. 386.
" imperium, ut omnes populi, tribus, & linguæ
" ſervirent ei. Et propterea * quia tam fidelis ex- * C. 14.
" titit, quia ſibi nihil prorſus aſſumpſit, ut man- p. 395.
" data mittentis impleret; & ſacerdotis perpetui
" dignitatem, & regis ſummi honorem, & judicis
" poteſtatem, & Dei nomen excepit. Eſt ergo ex *Lactantij* ſententia, Pater ſolus *Deus ſummus, ſingularis, verus, unus*, Deus qui Filium ſuum legavit ad homines, ut doceret eos, *quod unus Deus ſit, eumq; ſolum coli oportere.*

Eſt autem Filius Deus, non ob eandem numero cum Patre eſſentiam, ſed Deus creatus, qui ob virtutem quam ſimul docuit & fecit, meruit ut Deus crederetur. Cui nullum regnum naturale competebat, ſed cui regnum, honor, & imperium à Deo Patre datum eſt, ob virtutem & fidem quam ipſi exhibuit, & cui ob eandem rationem ſacerdotis perpetui dignitas, & regis ſummi honor, & judicis poteſtas, & Dei nomen conceſſum eſt: Qui deniq; ſe Deum dicere non potuit, niſi ſe ab eo quem illuſtratum venerat, ſepararet.

Reſpondeo ſecundo, *Lactantij* verba ex ſemetipſo III.
exponendo. *Unus Deus*, inquit, *merito uterq; appellatur*; ſed quomodo? eo ſcilicet modo, *quo Filius quem Pater diligit, & cui nomen Domini & poteſtatem concedit, eſt unus cum Patre.* Eſt unus uterq;, ſed quare? *quia unanimes ſunt*, i. e. juxta *Juſtinum, Origenem, Novatianum*, κατὰ ὁμοιότητα, συμφωνίαν, μίαν γνώμην, *ob dilectionem, & conſenſum*;

en verba clariſſima! *Propriore uti exemplo libet; Cum quis habet Filium quem unice diligit, qui tamen ſit in domo & manu Patris, licet ei nomen domini & poteſtatem concedat, civili tamen jure & domus una, & unus Dominus nominatur. Sic hic mundus una Dei domus eſt; & Filius ac Pater, qui unanimes incolunt mundum, Deus unus, quia & unus eſt tanquam duo, & duo tanquam unus; neq; id mirum, quia & Filius ſit in Patre, quia Pater diligit Filium; & Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret; nec unquam faciat, aut fecerit, niſi quod Pater aut voluit, aut juſſit.* En quomodo Pater & Filius unus eſt, nempe *quia unanimes incolunt mundum, tanquam unam domum:* Quod Patrum *Ante-Nicænorum* verbis eſt, eſſe τῇ ὁμονοίᾳ καὶ τῇ συμφωνίᾳ ἓν. En quomodo Filius eſt in Patre; nempe, juxta *Novatianum, per dilectionem, & charitatem, quia Pater diligit Filium*; & Pater in Filio, nempe juxta *Origenem*, ταυτότητι θελήματος *voluntatis unitate*; verbis *Lactantij*, " quia voluntati " Patris fideliter paret, nec unquam fecit, aut fe- " cerit niſi quod Pater aut voluit aut juſſit; quæ ſunt ipſiſſima verba quibus *Juſtinus* explicat utriuſq; μίαν γνώμην. *Unum neutrale*, inquit *Tertullianus, pertinet ad unitatem, ad ſimilitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit; & ad obſequium Filij, qui voluntati Patris obſequitur.* En quomodo mens una eſt in utroq;; nempe quia *unanimes ſunt*: voluntas una, nempe quia *Filius Patri fideliter obtemperat*: *una* deniq; eſt *ſubſtantia*, ſpecie nimirum, non numero; *ſicut radius*, inquit, *cum ſole, & ſicut Pater & Filius eſt unus Dominus, non naturali*, ſed *civili jure*; alioquin enim Filius, teſte *Lactantio*, * *mediam inter Deum & hominem ſubſtantiam gerit.* A Patre non ſeparatur aut ſecernitur; nempe quoniam *ſummo Patri fidelis & charus eſt, non ſeparatur*; à quo tamen, dicente *Lactantio*, † *ſi ſe Deum dixiſſet, ſe-*

* N 13. p. 388.

† N. 14. p. 395.

ipſum

ipſum ſeparaſſet. Pergit *Lactantius* ad hunc modum; *Quicquid eſt in Patre, ad Filium transfluit, & quicquid in Filio, à Patre deſcendit*; nempe quia Patris Spiritus in Filium transfluebat, ‖ & *Pater genuit ſimilem ſui Spiritum, patria ſcilicet virtute & majeſtate pollentem, & qui eſſet virtutibus Dei Patris præditus*: " non poteſt ille ſummus, & ſingu- " laris Deus, niſi per Filium, coli: Qui ſolum Pa- " trem ſe colere putat, ſicut Filium non colit, ita " ne Patrem quidem: Chriſto nimirum dicente, *Nemo venit ad Patrem niſi per me.* Qui autem Filium ſuſcipit, & nomen ejus gerit, is vero cum Filio & Patrem colit, (non ob eandem utriuſq; eſſentiam, ſed) quoniam *Legatus*, & *Nuntius*, & *Sacerdos* eſt Filius; adeo ut qui recipit Filium, ejus *Legatum* & *Nuntium, recipiat eum* qui miſit Filium.

‖ *L. 2. c. 8. l. 4. c. 6.*

Sectio Tertia.

De Euſebio Cæſarienſi.

Euſebium Cæſarienſem inter *Arianici* furoris patronos tot Patres recenſuerunt, eundemq; à fidei *Nicænæ* placitis deviaſſe tot luculentis teſtimonijs antea probavimus, ut ultra unius † *Gothofredi* de ipſo judicium non amplius addam. " *Philoſtorgij*, " inquit, Teſtimonio *de Euſebio Cæſarienſi Ariano*, " accedunt *Euſtathius Antiochenus, Marcellus Ancyræ*, " *Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Epiphanius, Synodi* " *Tyrenſis Epiſcopi, concilium Sardicenſe, Hierony-* " *mus, Sozomenus, Theodoretus Cyri Epiſcopus, &* " *Mopſueſtænus*, cum pluribus alijs. Sed quid " aliunde teſtimonia conquirimus, cum ipſemet " fidem ſuam ſatis prodat? Nonne libri demon- " ſtrationum Evangelicarum pleni ſunt parum

† *Not. in Philoſtorg. l. 1. §. 8. p. 29, 30.*

" orthodoxarum sententiarum? libr. 4. c. 2, Filium " Patris δημιούργημα & Patris ὑπρέτην vocat; eo- " demq; libro c. 3, Filium ἔτερόν τι à Patre dicit; " item ἀσύμφωνον consilio & potestate Patris. Quod " Pater προϋπάρχει, προϋφέστηκεν Filio, ante ipsius ge- " nerationem. Et l. 5. c. 1. Filium secundam cau- " sam vocat, & c. 2. quod Deus Filium honoret " secundo sceptro, & c. 3. vocat Filium Secundum " Dominum, & c. 4. eum δεύτερόν ἀξιοῦς; item " unum solum verum Deum, quiq; ita proprie ap- " pelletur, Patrem esse; secundum autem, hoc est, " Filium, participatione duntaxat veri, societatem " (sc. nominis) adsecutum esse: & paulo post, " Filium post Patrem, tanquam Deum honoran- " dum esse propter inhabitantem in eo Deum; & " alia similia, eodem cap. & cap. 6. & 8, Patrem " Filij Deum, & Dominum esse. Et cap. 11. " præstantiorem quidem Filium omni Angelica " natura esse; inferiorem tamen μείονα prima cau- " sa. Et præfatione lib. 6. Filium δεύτερον μετὰ τὸν " πατέρα ὐσίαν, & Præp. Evang. l. 7. c. 11. vocat Fi- " lium δεύτερον ὐσίαν, δεύτερον θεόν. Libris de Eccle- " siasticâ Theologiâ contra *Marcellum* passim, & " inter alia lib. 1. c. 7. sub finem, dicit Filium non " eundem esse cum Deo & Patre; neq; enim se- " cundum pietatem vere senserit is qui profiteatur, " esse illum Deum qui est super omnia. Et c. 20. " quod Filius, Dei minister fuerit in creatione " ὑπρετικὸς, διακονικάμενος; quod Filius alius sit, à " Deo invisibili. Et l. 2. c. 2. quod Pater & Fi- " lius non sunt ἰσόπνοι. Cap. 7. quod Filius Pa- " trem adoret. Cap. 14. quod Filius sit ὑπρετικὸς, " διακονικάμενος. Et l. 3. c. 7. pariter ὑπρετι- " κάμενος: ut mittam incommodas ejus sententias de " Spiritu Sancto. Ut proinde *Socrates* lib. 1. c. 3. " & libro 2. c. 17. frustra *Æthiopem* lavare cona- " tus sit. Quibus consona multa, nec ullis stro- phis eludenda invenies apud *Petavium* de Trinit. lib. 1. cap. 11. & 12. Deniq;

Deniq; de Spiritu Sancto plane delirat cum *Origene*, ejusq; discipulis. Dicit etenim * *Filium solum produxisse substistentia creata omnia visibilia & invisibilia*; καὶ δὴ δημιουργικὸν εἶδ αὐτῆς τῆς τοῦ παρακλήτου πνεύματος ὑπάρξεως, *atq; adeo productorem esse existentiæ Spiritus, qui est paracletus.* Et iterum, † τὸ δὲ παράκλητον πνεῦμα οὔτε θεὸς, οὔτε υἱὸς, *at Spiritus qui est paracletus, nec Deus est, nec Filius; quoniam non de Patre, proinde ac Filius, generatur,* ἓν δέ τι ἔσῖ τῶν διὰ τοῦ υἱοῦ γινομένων τυγχάνει, *unus vero ex ijs est, quæ per Filium sunt facta; omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: ταῦτα, inquit, τῆς καθολικῆς καὶ ἁγίας ἐκκλησίας, ὧδε πη διὰ τῆς θείων φωνῶν παραδέδοται τὰ μυστήρια, *hæc mysteria Sanctæ & catholicæ Ecclesiæ ad hunc modum Sacris Scripturis tradita sunt.* Ac de his hactenus.

* *Eccles. Theol. l. 3. c. 6. p. 174.*

† *Ibid. p. 175.*

LIBER

LIBER SECUNDUS.

PROOEMIUM.

HActenus egimus de Patribus qui, noſtro ſaltem judicio, fidem à concilio *Niçæno* alienam docuerunt. In alijs, compendij gratia, ne nimium increſcat labor, quaſi æquo marte pugnaretur, aliqua fatemur ex ijs *Præſulem Cl.* protuliſſe quæ veram Chriſti Divinitatem propugnare videantur; pauca quæ Filium ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, eundemq;, aliquo ſenſu, Deum eſſe prædicant; multa tamen ſunt, ex ijſdem Patribus adducenda, quæ pro contraria ſententia æquali cum robore militant.

I. Eſt vero imprimis obſervandum, nuſquam Patres *Græcos*, ſecundi aut tertij ſæculi, de diſtinctione inter perſonam, & eſſentiam ſive ſubſtantiam Patris, Filij, & Spiritus Sancti, verba facere; de una numero trium perſonarum eſſentia, rarius vel *Græcos*, vel *Latinos* loqui; de interiori Filij & Spiritus Sancti generatione, aut proceſſione, vix uſpiam.

2°. Filium in Patre ſemper fuiſſe, non tantum dicunt Patres *Ante-Nicæni*, ſed hac ratione contendunt, quod Pater fuit ſemper λογικὸς καὶ σοφὸς, ſapiens & rationalis, ſive, ut *Septimij* verbo utar, *Sermocinalis*: rationem vero, ſapientiam, & ſermonem in Patre fuiſſe ἀλογώτατος καὶ ἀνυποστάτως nemo non videt; adeoq; Filium in Patre rationis hujus vi, ἐπι-

ἑταιρικῶς minime fuiſſe, ſed tantum eo quod ex Patre προπηδῶν, προελθὼν, ἡνωμένος ἦν, *proſiliens, progrediens, & genitus eſſet.* Nec enim, notante * *Euſebio, Paganus, Judæus,* vel ipſe *Sabellius*, qui omnes Filij ὁμοίωσιν tollebant, negarent Deum Patrem eſſe λογικὸν καὶ σοφὸν, καὶ ἀγαθὸν, καὶ δυνατὸν, rationalem, ſapientem, bonum, & potentem; adeoq; neceſſe eſt *Præſulem Cl.* falli, quoties ex his verbis concludit, Filium in Patre ὁμοουσιακῶς ſemper fuiſſe.

* *Eccleſ. Theol. l. 1. c. 16.*

II. Obſervandum eſt tertio, *Præſulem Cl.* ubicunq; invenerit Patres Latinos, *Tertullianum, Novatianum, Lactantium,* de unitate *ſubſtantiæ* Patris & Filij verba facientes, triumphos canere, & literis unciatis verba iſta continuo proferre, quaſi in ijs τὸ ὁμοούσιον, ſenſu ſuo, inveniſſet.

Eſt tamen certum, & à *Cl. Cudworthio* multis argumentis demonſtratum, Patres ipſos *Nicænos*, alioſq; complures, unitatem ſingularem, aut individualem, neutiquam intellexiſſe, ſed tantum ſpecificam, & pluribus communem, eodem plane modo quo tribus hominibus eandem eſſentiam tribuebant. Sed nemo certius hoc ipſum demonſtrat quam ipſe *Præſul Cl.* in longa illa περὶ τῆς ὁμουσίου; diſſertatione, quam Patrum teſtimonijs præmittit. Nec enim aliter brutorum animæ dici poſſunt noſtris ὁμοούσιοι; aſtra omnia, ſol & luna ὁμοούσια; angeli & dæmones ὁμοούσιοι; bruta deniq; ſecundum corpus hominibus ὁμοούσια. Cum igitur ex præmiſſis hiſce exemplis Sectione ſecunda, tertia ſic incipit, *hoc ipſo ſenſu Filium Patri* ὁμοούσιον *dixiſſe Nicænos Antiſtites, æquis omnibus, & non plane contentioſi ingenij hominibus, ex ipſis ſymboli Nicæni verbis manifeſtum fiet*; ultro fatetur *Præſul Cl.* juxta ſymboli *Nicæni* Patres, Filium cum Patre unam ſubſtantiam haud aliter habuiſſe quam *Petrum* & *Paulum*, aut patrem & filium inter homines; hoc eſt, non unitate numerica & ſingulari, ſed tantum ſpecifica.

Exemplo

III. Exemplo res clarior evadet. Primum quod ex *Tertulliano* teſtimonium adducit *Præſul Cl.* ad hunc modum ſe habet; * " Deo propriam ſubſtantiam " Spiritumq; inſcribimus, cui & Sermo inſit præ- " nuntianti, & ratio adſit diſponenti, & virtus præ- " ſit perficienti: hunc ex Deo prolatum didicimus, " & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, " & Deum dictum *ex unitate ſubſtantiæ, quia &* " *Deus Spiritus.* Ubi planum eſt *Tertullianum* unitatem ſubſtantiæ Patris & Filij ex eo colligere, quod ambo ſunt Spiritus, quod pariter ſunt duo angeli, & duo dæmones. Eſt ergo certum, ex his verbis unitatem numericam colligi non poſſe, ſed tantum ſpecificam.

* *Apol.* c. 21.

SECT.

Sectio Prima.

De Fide Ignatij.

AGnoſcimus *Ignatium* Chriſtum, *Deum* ſæpius appellare; hunc Deum *orandum eſſe*, Deumq; *ante ſæcula cum Patre exiſtentem* docet. Idem vero libere agnoſcunt *Ariani*, & *Semi-Ariani* omnes. Eſt *Deus in Patre exiſtens*, ſed quo ſenſu, non dicit: Eſt Dei λόγος ἀϊδιος *ſermo æternus*, ut Patres multi docent, quia Deus eſt ſemper λογικὸς; non autem ἀϊδιος genitus: Eſt Filius Patri unitus; an vero eſſentia, aut virtute, voluntate, affectu, ὁμοιότητι, aut unitate Spiritus, in medio relinquit. *Dominum nihil latere dicit*; quem vero Dominum intelligit, Patrem, an Filium, incertum eſt. Pace enim *Præſulis* ſit dictum, de utroq; in hac ſectione loquitur. *Omnia nos ita facere jubet, ut ſimus ejus Templum*; Dei autem Templum Sancti in Scripturis ſæpius appellantur, Chriſti nunquam. Unum ſupereſt majoris ponderis, nempe quod Chriſtus, juxta * *Ignatium*, eſt γενητὸς καὶ ἀγένητος, i. e. interprete *Cl. Præſule*, *factus* & *infectus*; ſecundum veterem interpretem, *genitus* & *ingenitus*; juxta quam lectionem, Patribus *Ante-Nicænis* omnibus plane repugnat, qui nuſquam Filium ἀγένητον pronuntiabant; immo qui omnes Deum Patrem ſolum ἀγένητον eſſe docuerunt, eumq; à Filio hoc epitheto diſtinguebant; adeo ut neceſſe ſit vel lectioni † *Theodoreti* fidem adhibere, qui verba *Ignatij* ſic exhibet, γενητὸς ἐξ ἀγενήτου *genitus ex ingenito*, vel ſaltem agnoſcere *Ignatium*, his verbis, Patribus omnibus *Ante-Nicænis* adverſari.

* *Ad Epheſ.* §. 7.

† *Dial.* 1. *p.* 34.

Idem *Ignatius*, ‖ epiſtola ad *Smyrnæos*, Chriſtum Dei Filium enuntiat (non κατ' οὐσίαν ſecundum eſſentiam Patris ipſi communicatam, ſed) juxta *Juſtinum*,

‖ §. 1.

num, Tatianum, alioſq; Patres *Ante-Nicænos,* κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ, i. e. ex veteri verſione, *ſecundum voluntatem & potentiam Dei*; Quæ verba adeo * *Theodoreto* diſplicuerunt, ut contra fidem codicum, & verſionis antiquæ, τὸ κατὰ θέλημα mutaverit in κατὰ θεότητα *juxta Deitatem.*

* *Dial.* 1. *p.* 33.

Sectio Secunda.

De Fide Irenæi.

UT fidem *Irenæi* certius intelligamus, initium faciam à locis in quibus *Eccleſiæ* univerſæ fidem ab *Apoſtolis* & *Evangeliſtis* ei traditam, & per univerſum mundum prædicatam, exhibet; ea autem his verbis concepta eſt, † *Credo in Unum Deum, Patrem* παντοκράτορα, *qui fecit cælum, & terram: Et in unum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute, & de cælis in gloria Patris adventurum, ad recapitulandum omnia, & ad reſuſcitandum carnem omnem totius humani generis, ut Chriſto Jeſu,* τῷ κυρίῳ ἡμῶν, καὶ θεῷ, *Domino, & Deo noſtro, & Salvatori, & Regi, ſecundum beneplacitum Patris inviſibilis, omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & judicium juſtum in omnes faciat.* Ubi notandum,

† *L.* 1. *c.* 2.

1°. Eccleſiam per univerſum mundum diſperſam ‖ *hanc fidem diligenter cuſtodire, & conſonanter hæc prædicare, docere, ac tradere, quaſi unum os poſſidentem, neq;* " ὁ πάνυ δυνατὸς ἐν λόγῳ, περὶ ἐν ἐκκλησίαις " πρεσβύτων, *is inter Eccleſiæ præpoſitos, qui ſermone valde potens eſt, alia ab his dicet,* (nemo " enim ſuper Magiſtrum eſt,) *neq; infirmus ſermone, deminorabit traditionem.* Cum enim una, " eademq; fides ſit, neq; is qui multum de ea dice-

‖ *Ibid. c.* 3.

" re

" re poteſt, fidem auget; neq; is qui minus, *ab ea*
" *diminuit.* Et rurſus: * Vera cognitio eſt *Apoſto-* * *L.* 4.
" *lorum* doctrina, & antiqua Eccleſiæ conſtitutio, & *c.* 63.
" character corporis Chriſti ſecundum ſucceſſiones
" Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoq;
" loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit
" uſq; ad nos cuſtodita, *neq; additamentum, neq;*
ablationem recipiens.

2°. Traditionem hanc aſſerit eſſe † βεβαίαν τὴν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας κηρυσσομένην ἀλήθειαν *firmam veritatem* † *Lib.* 1. *p.* 44.
ab Eccleſia prædicatam, & τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἔλαβε, *canonem Eccleſiæ indeclinabilem, quem per Baptiſmum accepit,* ‖ & *ſolam* ‖ *Præf.* & *cap.* 2, 4.
veram & *vivificam fidem quam ab Apoſtolis Eccleſia recepit,* & *diſtribuit Filijs ſuis.* Porro " Traditio-
" nem hanc, eam eſſe dicit quæ eſt ab *Apoſtolis,*
" quæ per ſucceſſiones *Apoſtolorum* in Eccleſia
" cuſtoditur, & veritatem quam facile eſt ab Ec-
" cleſia ſumere, cum *Apoſtoli,* quaſi in depoſitorium
" dives, pleniſſime in eam contulerint omnia quæ
" ſint veritatis. Deniq;, † Ibi, inquit, diſcere † *L.* 4. *c.* 45.
" oportet veritatem, apud quos eſt ea, quæ eſt ab
" *Apoſtolis,* Eccleſiæ ſucceſſio, & id quod eſt ſanum,
" & irreprobabile converſationis, & inadulteratum,
" & incorruptibile ſermonis exiſtit. Hi enim, &,
eam quæ eſt in unum Deum qui omnia fecit, fidem
noſtram cuſtodiunt; &, *eam quæ eſt in Filium Dei*
dilectionem, adaugent.

3°. Teſtes traditionis hujus in omnibus Eccleſijs per univerſum mundum depoſitæ, & ab omnibus Eccleſijs ad *Irenæi* tempora conſervatæ, & tanquam *ſymbolum integræ fidei Chriſtianæ* regenerationis lavacro abluendis, ſine *additamento* aut *diminutione* traditæ, inducit, II.

1°. * Quatuor *Evangeliſtas,* " Qui omnes unum * *L.* 3. *c.* 1.
" Deum factorem cœli & terræ, à Lege & Pro-
" phetis annuntiatum, & unum Chriſtum Filium
" Dei tradiderunt nobis, &, per Dei voluntatem,

" in

" in *Scripturis* consignarunt, *fundamentum & colum-*
" *nam fidei nostræ futuram.*

2°. *Episcopos* ab *Apostolis* institutos in Ecclesijs, & successores eorum usq; ad nos, annuntiantes *unum Deum* factorem cœli & terræ, & hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesijs nuncupari. Ibid. cap. 3.

*L. 4. c. 69. 3°. Viros Spiritus Sancti donis ornatos; *" *Spiritualis* enim, inquit, *à nemine judicabitur; omnia enim ei constant, & fides integra in unum Deum* παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, *omnium rectorem, ex quo sunt omnia; & in unum Filium Dei Jesum Christum,* δι' οὗ τὰ πάντα *per quem omnia*; ubi manifesto respicit verba *D. Pauli* ad *Ephesios*, cap. 4. 6. ex quibus sæpius infert *Irenæus*, *unum esse Deum qui est Pater Domini nostri Jesu Christi*, l. 2. c. 3. *unumq; Deum qui verbo omnia fecit, & præter quem non est alius Deus.* l. 4. c. 52.

4°. *Clementis* R. Epistolam ad *Corinthios*, " *re-*
" *novantem fidem eorum, & annuntiantem eam*
" *quam ab Apostolis recenter acceperant traditionem:* Et *Polycarpi* Epistolam ad *Philippenses valde idoneam, ex qua & characterem fidei ejus, & prædicationem veritatis, qui volunt, ediscant.* l. 3. c. 3. Et tamen certum est *Clementem*, in Epistola laudata, Patrem *solum Deum verum* appellare: Et in utrisq; Epistolis Christum à Deo omnium rectore sæpius distingui, Deum autem nusquam dici, ut supra vidimus.

5°. Notandum hæc *symboli* verba, κατ' εὐδοκίαν *secundum beneplacitum Patris invisibilis*, si ad præcedentia referantur, plane indicare Christum, ex sententia Ecclesiæ, Dominum, Deum, & regem nostrum esse, non ob essentiam numericam Patris eidem communicatam, sed *ob Patris beneplacitum*; sin autem sequentia respiciant, quod est magis verisimile, haud minus perspicue indicant ex *beneplacito* & donatione Dei Patris, *omne genu cœlestium,*

terrestrium & infernorum ei curvandum esse, & omnem linguam confiteri debere eum Dominum esse, juxta hæc D. *Pauli* verba, *Philip.* 2. 8---11. *Factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod Deus etiam exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Jesus Christus in gloriam Dei Patris,* dantis ei omnem *potestatem in cælis, & in terris,* Matth. 28. 19. dantis ei *potestatem super omnem carnem,* Joh. 17. 2. & *qui dedit ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est,* Joh. 5, 27. Deo Patre invisibili, judicante *occulta hominum* per *Jesum Christum* in carne visibilem, *Rom.* 2. 15. III.

1°, Sententiam hanc certam reddunt hæc *Irenæi* verba, l. 3. c. 12. p. 229. " Qui passus est sub *Pontio Pi-*
" *lato,* hic Dominus est omnium, & Rex, & Deus,
" & Judex, ab eo qui est omnium Deus, accipiens potestatem, *quoniam subjectus factus est usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Et rursus, l. 3. c. 6. p. 208. " Neq; *Spiritus Sanctus,* neq; *Apostoli* eum
" qui non esset Deus, definitive, & absolute Deum
" nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neq;
" Dominum appellassent aliquem ex sua persona,
" nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, &
" Filium ejus, qui *Dominium accepit à Patre suo*
" *omnis conditionis*; quemadmodum habet illud,
" *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,*
" *quoadusq; ponam inimicos tuos suppedaneum pedum*
" *tuorum.* Patrem enim Filio collocutum ostendit,
" qui & *dedit ei hæreditatem gentium,* & subjecit
" ei omnes inimicos.

2^do^. Idem *Irenæus* docet Deum, qui fecit cœlum & terram, esse * μόνον θεὸν παντοκράτορα *solum Deum omnium rectorem, super quem alius Deus non est; cum* " *sit solus Deus,* & *solus Dominus,* & *solus*
" *conditor,* & *solus Pater,* & *solus continens omnia*;
" & omnibus ut sint ipse præstans. Et rursus; IV.

* *L.* 1. c. 13. p. 79.

*L. 2. c. 1. & 16. * "Univerſæ, inquit, *Scripturæ* & *Propheticæ* & "*Evangelicæ*, unum & *ſolum Deum*, ad exclu- "dendos alios, prædicant omnia feciſſe per Ver- "bum ſuum. Contemnunt, inquit, hæretici eum "qui plaſmavit nos, *qui & ſolus eſt Deus*, l. 3. c. 11. "p. 216. Et cap. 40. qui Verbo ſuo confirmat, & "ſapientia ſua compingit omnia, *hic eſt qui eſt ſo-* "*lus verè Deus.* Et cap. 9. ipſo Domino Patrem "tantum Deum, & Dominum eum qui *ſolus eſt* "*Deus* & Dominator omnium, tradente diſcipulis, "ſequi nos oporteat. Et deniq; l. 4. c. 69. Nos "autem *unum* & *ſolum verum Deum* doctorem "ſequentes, & regulam veritatis habentes ejus "ſermones, de ijſdem ſemper eadem dicimus, "omnes unum Deum ſcientes factorem hujus uni- "verſitatis, qui Prophetas miſit---qui in noviſſimis "temporibus Filium ſuum manifeſtavit. In qui- bus præcipue obſervandum eſt, quod ex ſententia *Irenæi*, hic Pater, & παντοκράτωρ, i. e. omnium Dominator, *unus* & *ſolus Deus* dicitur, *ad excludendos alios*, lib. 2. c. 46. quod *Fevardentij* reſponſum enervat, nempe particulam *ſolum*, non *Filium*, & *Spiritum*, ſed *tantùm fictitios Valentinianorum Æones*, & *Bythos excludere*; hac enim diſtinctione, aut cautione, per integrum librum, *Irenæus* nunquam utitur. Porro effugium hoc protinus evertit *Irenæi* diſſertatio adverſus *Valentinianos* aſſerentes, *Demiurgum naturaliter neq; Deum, neq; Patrem eſſe, ſed verbo tenus dici, eo quod dominetur conditioni.*

†L. 4. c. 1. "Cui enim, inquit, non ſit manifeſtum, quoniam "ſi Dominus multos Patres ſciſſet, & Deos, *non* "*præcepiſſet diſcipulis ſuis unum ſcire Deum, &* "*hunc eundem ſolum vocare Patrem?* Sed potius "diſtinxiſſet eos *qui ſunt verbo tenus* Dij, ab eo "qui ſit *verè Deus*, ut non errent ſecundum do- "ctrinam ejus, neq; alterum pro altero audiant. "Si autem nobis quidem præcepit unum vocare "Patrem & Deum, ipſe autem interdum alteros

"con-

" confitetur Patres & Deos *eodem modo* alia qui-
" dem videbitur præcipiens discipulis, alia vero ipse
" faciens. Non est autem hoc magistri boni, sed
" seductoris, & invidi. *Apostoli* autem, secundum
" eos, transgressores ostenduntur præcepti, *Demi-*
" *urgum* Deum, & Dominum, & Patrem confiten-
" tes, quemadmodum ostendimus; si non *hic solus*
" *est Deus, & Pater.*

3°. *Irenæus* docet Dominum docuisse, unum esse V.
Deum, nempe Patrem, idemq; *Apostolos* ejus prædicasse. Cum enim Demiurgum *solum Deum*, & *solum Patrem*, & *eum qui est super omnia Deum*, probasset, l. 2. c. 1, 2, caput tertium sic orditur: " Quoniam autem hic Deus est Pater Domini nostri
" Jesu Christi, de hoc *Paulus Apostolus* dixit, *unus*
" *Deus Pater*, &c. Jam quidem ostendimus unum
" esse Deum; ex ipsis autem *Apostolis*, & ex Do-
" mini sermonibus adhuc ostendemus. Hoc ex
" Domini sermonibus facile est ostendere, confiten-
" tis unum Patrem, & factorem mundi, & plas-
" matorem hominis, qui à lege & prophetis an-
" nuntiatus sit, & alterum nescientis, & hunc esse
" *super omnia Deum* (docentis). Lib. 4. c. 1. dicit,
" eos qui adoptionis Spiritum acceperunt, credere
" in unum & *verum Deum*, & Christum Jesum
" Filium Dei. Similiter & *Apostolos* neminem ali-
" um, à semetipsis, Deum appellasse aut Dominum
" cognominasse; multo magis Dominum nostrum,
" qui & nobis præcepit neminem Patrem confiteri,
" nisi eum qui est in cœlis, qui est *unus Deus*, &
" *unus Pater*. Et cap. 10. Unus igitur & idem
" Deus, qui à lege & prophetis annuntiatus est,
" quem Christus suum Patrem confessus est; ipse
" autem est Fabricator, & ipse est *qui super omnia*
" *est Deus*. Cap. 70. p. 369. docet, Christum, per
" parabolam patrisfamilias, qui plantavit vineam,
" manifeste ostendisse discipulis suis, unum qui-
" dem ac eundem patrem familias, hoc est, unum

" Deum Patrem, qui per ſeipſum (*al.* ſemetipſum) " omnia fecit,--& eundem hunc patrem familias " aliquando quidem mittentem ſervos, aliquando " quidem Filium ſuum. Et p. 370. col. 1. Unus " igitur, & idem Deus qui plantavit vineam, qui " populum eduxit, qui Prophetas miſit, qui Filium " ſuum miſit. Et p. 372. manifeſte per hæc verba " ſua *Matth.* 22. 1---15, Dominus oſtendit omnia; " & quoniam unus Rex, & Dominus omnium Pa- " ter, de quo antea dixit, *ne per Ieroſolyma jures,* " *eſt enim Civitas magni regis*; & quoniam ab " initio nuptias paravit Filio *ſuo.* Longum eſſet ea omnia colligere quæ hoc caput reſpiciunt; unum igitur tantum adjiciam ex l. 3. c. 11. p. 217, 218. " Sic quidem unus & idem Deus, & Pater eſt, " qui à Prophetis quidem annuntiatus, ab *Evange-* " *lio* verò traditus, quem Chriſtiani colimus, & " diligimus ex toto corde, factorem cœli & terræ, " & omnium quæ in ea ſunt. Hanc fidem annun- " tiat *Johannes* Domini diſcipulus. Ubi *Fevar-dentij* nota hæc eſt; *Jam per quartum Evangeliſtam, id eſt D. Johannem, idem aſſerit quod ex alijs tribus paulo ante præſtitit; Unicum, verumq; Deum annuntiari à Prophetis & Apoſtolis.* Hic autem obſervandum eſt,

1°. Ex verbis *Irenæi* prius allatis, quod, ſi *Dominus ſciviſſet alios Deos, aut Dominos eodem modo, non præcepiſſet diſcipulis ſuis unum ſcire Deum, & hunc eundem ſolum vocare Patrem.*

2°. Notandum eſt ex *Gatakero de ſtylo Scripturæ, unum* pro *ſolo* frequenter uſurpatum eſſe à Scripturis Sacris, à *Rabbinis*, & ab authoribus profanis, cap. 3. p. 31, 32. Quem ſenſum poſtulant loca non pauca quæ ſub hoc capite adduximus.

VI. *Quartò*, Aſſerit idem *Irenæus* Filium Dei *Dominium accepiſſe* à *Patre ſuo omnis conditionis*, à Patre *accepiſſe poteſtatem* ad judicandum Sodomitas, l. 3. c. 6. A *Patre accepiſſe æternum regnum in Iſrael*, ibid.

c. 12. *accepiſſe omnium poteſtatem, quando Verbum caro factum eſt*, ut *quemadmodum in cælis habuit poteſtatem Verbum Dei, ſic in terris haberet principatum*, l. 4. c. 37. p. 331. & ab antiquo dierum *accepiſſe univerſam poteſtatem, & gloriam, & regnum*, ibid. cap. 38. p. 335. adeo ut poſt paſſionem, & aſſumptionem, *omnes qui fuerunt contra eum, ſub pedibus ejus ſubjiceret Deus, & ipſe ſuper omnes exaltaretur*, ibid. cap. 66. ita tamen ut in fine mundi regnum ſuum Patri reſtituat, *Filio deinceps cedente Patri opus ſuum, quemadmodum ab Apoſtolo dictum eſt. Quoniam oportet regnare eum, quoad uſq; ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. Cum autem ei fuerint ſubdita omnia, tunc ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ipſi ſubjecit omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* Deniq; dicit *Irenæus*, Filium *voluntati Patris deſervire*, l. 3. c. 18. & *Patri adminiſtrare in omnia*, l. 4. c. 14 & 17. & *Patrem Filio præcepiſſe*, l. 3. c. 8. * *L.* 5. *c.* 18.

Ad priora omnia filet *Epiſcopus*; ad verba poſtremo allata conſultius ſiluiſſet. Reſpondet etenim

Primo, *Præcepit Verbo ſuo ut mundus fieret, hoc eſt, voluit mundum fieri per Verbum ſuum; præcepit, non ut Dominus ſervo, ſed ut Pater Filio ejuſdem cum ipſo increatæ naturæ, divini imperij & poteſtatis conſortis, concurrente ipſius Verbi voluntate.*

Repl. Multa hic ἀσύστατα, & à veritate prorſus aliena, cauſa id exigente, *Præſul Cl.* effundit. Nec enim idem eſt *velle*, quod præcipere; nec locum habet præceptum in perſonam ejuſdem imperij; nec poteſtatis conſortium, aut voluntatis concurſus eſſe poteſt, ubi eſt una eademq; poteſtas, una numerica voluntas; hæc enim plane poſtulant poteſtates & voluntates duas mutuo concurrentes.

2°. Nec magis hæc conſiſtere poſſunt cum *Irenæi* quæſtione. Quæritur enim recte, *cui præcepit*; cui autem voluit, non ita. Quæſtio hæc certò indicat

præceptum Patris Verbo ſuo factum; una autem eademq; eſſentia ſibi non præcipit, nec ejuſdem eſt univerſam poteſtatem ab alio accipere, & eidem tradere; nec alterius *voluntati* deſervire poteſt, qui aliam ab eo voluntatem non habet.

VII. Ad ſecundam inſtantiam reſpondet *Præſul, intelligere hic Irenæum, miniſtrum, non Patri extraneum, quod Ariani voluerunt, ſed ὁμοούσιον, & connaturalem; ſeu potius id tantum velle, Deum Patrem, per Filium & Spiritum Sanctum (hoc eſt per ſemetipſum) opus illud creationis perfeciſſe.*

Repl. Quis unquam antea audivit de miniſtro ταμιεύοντι, aut de eadem numerica natura ſibi miniſtrante, & per ſemetipſum ſibimetipſi miniſterium exhibente?

2°. Reſponſio hæc pugnat cum *Irenæi* verbis; is enim Filium Patri adminiſtrare dicit, *omnia ei ſubjiciente Patre; & revelare omnibus Patrem, quibus vult, quando vult, & quemadmodum vult Pater, Patriſq; beneplacitum perficiendo; mittit enim Pater, mittitur autem & venit Filius*; hæc autem plane indicant miniſterium hoc Filium exhibere, non ſuum, ſed Patris beneplacitum perficiendo, & Patrem revelando, non prout ipſe voluerit, ſed *quibus, quando, & quemadmodam vult Pater.* Certum eſt igitur has reſponſiones *Præſulem, Irenæo* prorſus renitente, ex ſuo cerebro confinxiſſe.

VIII. Reſtat denuo locus inſignis, in quo *Irenæus*, cum Patribus alijs *Ante-Nicænis*, agnoſcit, quod * *Dominus ipſe Filius Dei, ipſum judicij diem & horam conceſſit ſcire ſolum Patrem, manifeſte dicens, De die autem illa & hora nemo ſcit, neq; Filius, niſi Pater ſolus.* In quibus, inquit, *referendo ſcientiam diei illius ad Patrem, Filius dixit quod verum eſt.* Et rurſus, " Si quis exquirat cauſam propter quam in " omnibus Pater communicans Filio, ſolus ſcire " horam & diem à Domino manifeſtatus eſt; neq; " aptabilem magis, neq; decentiorem, nec ſine

* *L.* 2. *c.* 48, 49.

" periculo alteram quam hanc inveniat in præsen-
" ti, (quoniam solus verax est magister, & Domi-
" nus,) ut discamus per ipsum, super omnia esse
" Patrem; etenim *Pater*, ait, *major me est*; &
" secundum agnitionem itaq; præpositus esse Pater
" annuntiatus est à Domino.

Huic argumento respondet *Præsul* dicendo, *manifestum esse Christo homini tantum ignorantiam tribuisse Irenæum.* Hoc autem ex ipsis *Irenæi* verbis falsum esse constat.

1°. Etenim, hunc de quo loquitur *Irenæus*, non *Filium hominis*, sed *Filium Dei* nuncupat.

2°. Agnoscit, sine ulla naturarum distinctione, *Patrem solum hunc diem nosse*, Christumq; *verum dixisse, scientiam hanc soli Patri tribuendo.* Solus autem Pater id scire non potuit, quod Filius Dei, cum ipso, novit; nec potuit *Irenæus* absolute dicere, vere hoc Christum affirmasse, quod solum κατὰ τί, & juxta inferiorem Christi naturam verum esset, juxta verò divinam ejus naturam, falsissimum.

3°. Dicit *Irenæus*, Christum his verbis nos docuisse *Patrem se majorem esse*, immo *super omnia esse*, & *Filio secundum agnitionem præpositum*: Quis autem existimare potest *Irenæum* contendisse Deum Patrem homine Christo majorem fuisse, eidemq; scientia præpositum!

Nec valet *Præsulis* argumentum, quo id firmare ex eo nititur, quod alibi dicit *Irenæus, Spiritum Salvatoris qui in eo est, scrutari omnia.* Non enim hoc dictum est de divina Christi natura, sed de Spiritu Patris in eo manente; cui ita in Christo manenti, aut Christianis concesso, usitatum est in Scripturis adscribere omnia, non absolutè, sed quæ ad officium aliorum respiciunt. Hinc dicit discipulis suis Christus, *Paracletus quem mittam, docebit vobis omnia*, nempe quæ ad officium vestrum *Apostolicum* spectant, Joh. 14. 26. *Spiritualis dijudicat omnia*, 1 Cor. 2. 15. *unctio quam accepistis, docebit vos*

περὶ πάντων *de omnibus*, 1 Joh. 2. 27. Senſum hunc certum reddunt hæc *Irenæi* verba: *In omnibus Pater communicans Filio, ſolus ſcire diem & horam à Domino manifeſtatus eſt.*

Hactenus ex *Irenæo* teſtimonia adduximus, quæ Filium ejuſdem eſſe cum Patre numericæ eſſentiæ, æqualiſve Deitatis, vix ac ne vix admittunt. Reſtat jam, ut *Præſulis Cl.* argumenta in ὁμοουσίου ſubſidium allata, paucis expendamus. Hic autem, præfationis gratia, iniquum eſſe exiſtimo, eum *Irenæi* verbis ſenſum tribuere, qui alijs, in eodem, vel fortè capite proximo, ſive in eodem libro contentis, protinus repugnat. Exempli gratia,

IX. Argumentum *primum* ducit * *Præſul Cl.* ex his *Irenæi* verbis: † *Neq; Dominus, neq; Apoſtoli eum qui non eſſet Deus, definitive & abſolute Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet vere Deus; neq; Dominum appellaſſent aliquem ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium ejus.* Atq; ita, miro artificio, in medio ſententiæ, citationem ſuam *Præſul* abrumpit; verba autem integra ſic ſe habent. *Et Filium ejus, qui Dominium accepit à Patre omnis conditionis; quemadmodum habet illud, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis, quoadusq; ponam inimicos tuos ſuppedaneum pedum tuorum. Patrem enim Filio colloquutum oſtendit, qui & dedit ei hæreditatem gentium, & ſubjecit ei omnes inimicos. Vere igitur cum Pater ſit Dominus, & Filius vere ſit Dominus, merito Spiritus Sanctus Domini appellatione ſignavit eos.* Et iterum: *In everſione Sodomitarum Scriptura ait, Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulphur à Domino de cælo: Filium enim hic ſignificat, qui & Abrahæ colloquutus eſt, à Patre accepiſſe poteſtatem ad judicandum Sodomitas propter iniquitatem eorum.* En quam clare Chriſtum vere Dominum appellat *Irenæus*, ob Dominium à Patre datum & acceptum, immo ob Dominium in fine Mundi

* *L.* 2. §. 2. c. 5. p. 126.
† *L.* 3. c. 6.

Mundi deponendum; quod ex loco *Pſalmiſtæ* hic allato, probat *Irenæus*, l. 5. c. 36. Quid ergo impedit quo minus *vere Deus* etiam appelletur ob Deitatem, non à Patris eſſentia communicatam, ſed ab ejuſdem donatione derivatam? quo ſpectare videantur hæc verba; * " *Diviti & multæ* voluntati " Patris deſervit, cum ſit ipſe Salvator eorum qui " ſalvantur, & *Dominus eorum qui ſunt ſub Domi-* " *nio, & Deus eorum quæ conſtituta ſunt.* Hinc is qui teſtimonium accepit à Patre, & Spiritu Sancto, quod vere homo ſit, & vere Deus eſt; ibidem Filius dicitur, *omnia ei ſubjiciente Patre*, Filius qui *omnia perficit adminiſtrans Patri*, & qui *Patrem revelat quibus vult, quando vult, & quemadmodum vult Pater.* Hinc Deitate hac Filij non obſtante, idem *Irenæus* in hoc ipſo capite, non tantum aſſerit cognoſcere Chriſtianos Patrem Domini noſtri eſſe *ſolum & verum Deum*; ſed ut alij id cognoſcant, his verbis poſtulat, viz. " Invoco te Domine *Deus* " *Abraham*, & *Deus Iſaac*, & *Deus Jacob qui eſt* " *Iſrael*, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus " qui per multitudinem miſericordiæ tuæ bene " ſenſiſti in nobis, ut te cognoſcamus qui feciſti " cœlum & terram, qui dominaris omnium, qui " es *ſolus, & verus Deus, ſuper quem alius Deus* " *non eſt.* Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum " dominationem quoq; donans Spiritus Sancti, da " omni legenti hanc Scripturam cognoſcere te, *quia ſolus Deus es.*

* *L.* 3: *c.* 18.

2°. Nec minus peccat † *Præſul Cl.* adducendo ex capite 8°. ejuſdem libri, hæc verba; *Ita ut is quidem qui omnia fecerit cum Verbo ſuo, juſte dicatur Deus, & Dominus ſolus.* X.

† *Ibid. p.* 132.

Nam bene hic monet *Grabius*, π cum *deeſſe in Arundel. MS. Hoc autem expuncto, alius exſurgit ſenſus*, nempe, quod is qui omnia fecit Verbo ſuo, juſte dicatur *Deus*, & Dominus ſolus. Atq; ita convenit finis capitis cum initio: Sic enim incipit; *mani-*

manifeſte oſtenſum eſt quoniam nunquam neq; Prophetæ neq; Apoſtoli alium Deum nominaverunt, vel Dominum appellaverunt, præter verum & ſolum Deum; multo magis ipſe Dominus (id non fecit) *qui & Cæſari quidem, quæ ſunt Cæſaris, reddi jubet, & quæ Dei ſunt, Deo; Cæſarem quidem Cæſarem nominans, Deum vero Deum confitens.*

Porro ſi retinendum eſſet τὸ *cum*, idem tamen ſignificare hic, *cum Verbo*, ac *per Verbum ſuum*, præcedentia plane indicant; nempe, " *David* cum laudationes enumeraſſet, nominatim univerſa quæcunq; diximus, & cœlos, & omnes virtutes eorum; adjecit, *Quoniam ipſe præcepit, & creata ſunt, ipſe dixit, & facta ſunt.* Cui ergo præcepit? Verbo ſcilicet, per quod cœli firmati ſunt, & omnis virtus eorum; nempe, ut antea monuerat, " ſive Archangeli, ſive Throni, ſive Dominationes, " ab eo qui *ſuper omnes eſt Deus*, & conſtituta " ſunt, & facta per Verbum ejus. Præcepit igitur Verbo ſuo, *is qui eſt ſuper omnes Deus*; hoc autem, apud *Irenæum*, continuo eſt Epitheton Dei Patris, quod nuſquam invenio ab eo, Dei Filio aut Verbo adſcriptum.

XI. Tertium *Præſulis* Argumentum ex eo ductum " eſt, quod de Deo, qui locutus eſt *Moyſi*, & ma- " nifeſtavit ſe eſſe Deum Patrem, verba faciens * *L.* 4. *c.* 11. " *Irenæus, hic*, inquit, *eſt vivorum Deus* & Ver- " bum ejus. Et iterum; *Ipſe igitur Chriſtus, cum* " *Patre, eſt vivorum Deus qui locutus eſt* Moyſi, " *qui & Patribus manifeſtatus eſt.* Scilicet, juxta " *Irenæum, qui* Moyſi *de rubo locutus eſt, ſeq; Pa-* " *tribus manifeſtavit, is eſt Deus vivus, Deus vivo-* " *rum, Deus ſuper omnia*, & *ſuper quem alius* " *Deus non eſt:* At, juxta eundem *Irenæum*, Chri- " ſtus ipſe, cum Patre, is eſt qui *Moyſi* locutus eſt, " & Patribus manifeſtatus eſt: *Chriſtus ergo eſt Deus ſuper omnia*, &c.

Reſpon-

Reſpondeo primo, *Irenæum* in his verbis, *Præſulis* ſenſu intellectis, Patribus fere omnibus *Ante-Nicænis* adverſari, qui uno ore negant eum qui *Moyſi* & Patribus ſe manifeſtavit, potuiſſe eſſe Deum Patrem; nec minus hoc ſenſu, *Irenæus* cum ſeipſo pugnabit; capite enim 17°, " Judæos dicit " Dei Verbum non recepiſſe, neſcientes *eum qui in* " *figura locutus eſt humana, ad Abraham, & Aaron,* " *& iterum ad Moyſem, dicentem, Videns vidi af-* " *flictionem populi mei in Ægypto, & deſcendi* libera- " re eos; *hæc enim Filius, qui eſt Verbum Dei,* " *præſtruebat,* non indigente Patre Angelis, uti " faceret conditionem, ſed habente copioſum & " inenarrabile miniſterium: miniſtrat enim ei ad " omnia, *ſua progenies,* & *figuratio ſua,* id eſt Fili- " us, & Spiritus Sanctus, Verbum & ſapientia, " quibus ſerviunt & ſubjecti ſunt omnes Angeli. Et capite 23°. " Inſeminatus eſt ubiq; Filius Dei " in Scripturis ejus, aliquando quidem cum *Abra-* " *ham* loquens, cum eodem comeſurus; aliquando " cum *Noe*, dans ei menſuras; aliquando autem " quærens *Adam*; aliquando autem *Sodomitis* indu- " cens judicium; & rurſus, cum videtur, & in " viam dirigit *Jacob*, & de Rubo loquitur cum " *Moyſe.* Et capite 26. ipſe eſt qui dicit *Moyſi*, " *Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Æ-* " *gypto, & deſcendi ut eruam eos*, ab initio aſſuetus " Verbum Dei aſcendere & deſcendere propter ſa- " lutem eorum qui male haberent. Ex his autem certum eſt Deum Patrem non per ſeipſum locutum eſſe *Moyſi*, ſed per Verbum ejus, juxta hæc capitis hujus verba, *Verbum ejus is eſt qui locutus eſt Moyſi*; Pater enim nunquam *humana figura* apparuit, nec ſibi ipſi miniſtrat; ſed " Verbum ejus is " eſt qui locutus eſt *Moyſi*, qui *Sadducæos* redar- " guit, qui erat his qui cæcutiunt oſtendens Deum " & reſurrectionem. Ergo vivorum Deus *Moyſi* de rubo locutum eſſe, & Deum Patrem ſe mani-

feſtaſſe

festasse dicitur, quia Verbum ejus in persona Patris loquebatur ijs, & dixit *Videns vidi afflictionem populi mei*, Exod. 3. 7. & *ego sum Deus Abraham*, &c. v. 6. Et Filius ejus Patribus in *figura humana* apparuit, *Patri ad omnia administrans*. Atq; hoc sensu Patres omnes *Ante-Nicæni* hæc verba semper intellexerunt. Falsâ est ergo *Præsulis* propositio, *is qui de rubo Moysi locutus est, est Deus vivorum*; est enim Verbum Deum vivorum repræsentans, ejusq; personam gerens. Constabit id amplius ex descriptione Dei vivi quam *Irenæus* hic exhibet. *Quis enim*, inquit, *est vivorum Deus, nisi qui est super omnia Deus, & super quem alius non est Deus?* Hac enim periphrasi *Irenæus* Deum Patrem vigesies ad minimum, Filium nunquam indigitat. Ita capite præcedenti; *unus igitur & idem Deus qui plicat cælum quemadmodum librum, qui à lege & prophetis annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est; ipse est Fabricator, & ipse est qui super omnia est Deus.* Et l. 2. cap. 55. *Hic Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus vivorum, quem & lex annunciat, quem Prophetæ præconiant, quem Christus revelat.* Atq; his consona sunt hæc Origenis verba, Comm. in *Johan.* p. 130. ὁ μὲν πέμψας αὐτὸν πατὴρ ὁ τῶν ζώντων θεὸς, *Pater qui misit eum, est vivorum Deus*, (ut etiam ipse Jesus testatur,) nempe *Abrahami, Isaac*, & *Jacob*; & idcirco Dominus cœli & terræ, quod ea fecerit. ὅτι καὶ μόνος ἀγαθὸς, καὶ μείζων τοῦ πεμφθέντος, *hic etiam solus bonus est, & major misso.* Ad comma secundum hujus capitis accedimus, quod ideo non multum negotij nobis exhibebit, quod sit tantum illatio ex præcedentibus, quæ sic se habent: *Indubitate vivunt Deo, & non perierunt, cum sint Filij resurrectionis; resurrectio autem ipse Dominus est, quemadmodum ipse ait, Ego sum resurrectio & vita: Patres autem ejus Filij; dictum est enim à Propheta, Pro Patribus tuis facti sunt tibi Filij tui. Ipse igi-*

tur

tur *Chriſtus, cum Patre, vivorum eſt Deus qui locutus eſt Moyſi, qui & Patribus manifeſtatus eſt.* Quo ergo ſenſu Chriſtus cum Patre eſt *reſurrectio, & vita*; eodem ſenſu eſt cum Patre vivorum Deus: Eſt autem Pater vivorum Deus, quia in & à ſe habet poteſtatem mortuos ad vitam revocandi; Chriſtus, quia *dedit ei Pater* hanc *poteſtatem*, Johan. 5. 26. Et quia Deus, *per Chriſtum*, nos è mortuis revocabit, eſt ergo cum Patre Deus vivorum, quoniam à Patre accepit poteſtatem mortuos vivificandi, eiq; in hoc opere miniſtrabit.

XII.

Obſtupui cum legiſſem * *Præſulem* hæc dicentem; *Hoc ex eo amplius confirmatur, quod idem Irenæus*, l. 3. c. 18. *citet Apoſtoli Teſtimonium*, Rom. 9. 5. *iiſdem verbis, eodemq; ſenſu, quo ipſum hodieq; accipiunt Catholici. Nam probaturus, contra Hæreticos, non alium Jeſum, alium Chriſtum, ſed unum eundemq; Deum eſſe; poſt alia, illum Pauli locum ita adducit, Et iterum ad Romanos ſcribens de Iſrael dicit, Quorum Patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt Deus ſuper omnes benedictus in ſæcula.*

* *Ibid.* p. 128.

1°. Etenim ludit Lectorem *Præſul* dicendo, *Irenæum* in hoc capite *in ſe probandum ſuſcipere, Jeſum & Chriſtum unum atq; eundem Deum eſſe.* Integrum enim caput in eo occupatur, ut oſtendat, contra *Valentinianorum* deliria, non eſſe alterum Jeſum, alterum Chriſtum, alterum unigenitum, alterum Salvatorem; ſed uni Jeſu à *Maria* Virgine nato, & ſub *Pilato* paſſo, hæc omnia nomina competere. Vocatur, fateor, in fine capitis, juxta lectionem impreſſam, *Deus noſter*; ſed, notante *Grabio*, *Dominus* legitur in *Fevardentij* marg. *Arundel.* & *Voſſ.*

2°. Nec magis ingenue facit *Præſul* dicendo, *Irenæum eodem ſenſu hæc verba adduxiſſe, quo illa adhuc accipiunt Catholici:* De horum etenim verborum ſenſu, apud *Irenæum*, nec vola occurrit, nec veſtigium; nec ea recitat ad probandum Deum eſſe Chriſtum,

Chriſtum, ſed ut oſtendat eundem eſſe Jeſum & Chriſtum: *Ne*, inquit, *alium quidem Jeſum, alterum Chriſtum fuiſſe ſuſpicaremur, ſed unum & eundem ſciremus eſſe*; *Ad Romanos ſcribens, de Iſrael dicit, Quorum Patres*, &c.

XIII. Verba *Irenæi* ex libro ſecundo, cap. 5. citata, ſunt hæc; *Hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, hic Fabricator, qui fecit ea per ſemetipſum, hoc eſt per Verbum, & ſapientiam ſuam: In quibus*, inquit *Præſul, Irenæus* σώζας ταυτότητα, *ſalva ſemper perſonarum diſtinctione, aſſerit.*

Reſpondeo 1°. de perſonarum diſtinctione nihil, apud *Irenæum*, per integrum librum occurrit; *perſonæ* vox ſemel tantum invenitur, ubi * *quadriformia animalia* εὐαγγελίων πρόσωπα *perſonæ Evangeliorum appellantur.*

* *L.* 3. *c.* 11. *p.* 223.

2°. Eſſentiæ ταυτότητα i. e. *identitatem*, Patres etiam *Poſt-Nicæni* rejiciunt. Ita † *Epiphanius*, *Patrem & Filium* ὐ λέγομεν ταυτόσιον *non dicimus eſſentia eundem eſſe, ne hoc dicendo Sabellio aſſimulemur.* Et ‖ *Baſilius* his verbis, ὐ γὰρ αὐτὸ τί ὄζιν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ, *non enim eſt idem ſibi ipſi conſubſtantiale, ſed alterum alteri.* Vide plura apud *Cudworth.* Intel. Syſtem. p. 611.

† *Hær.* 76. *N.* 7.

‖ *Epiſt.* 300.

XIV. Eodem in capite ſemper coexiſtens Filius Patri dicitur; & cap. 43, *non es infectus, ô homo*, (ut Deus,) *neq; ſemper coexiſtebas Patri, ut proprium ejus Verbum.* Unde *Præſul* Cl. infert, æternum eſſe, ex ſententia *Irenæi*, Dei Verbum.

Reſpondeo (1°.) *ſemper*, ἀεὶ, & αἰώνιον ſive *æternum*, apud Scriptores tam ſacros, quam profanos, id paſſim dicitur, quod ante Mundum conditum exiſtebat. Cum enim ante ortum Mundi, nec tempus eſſet, nec temporis menſura, id omne quod ante Mundi ortum exiſtebat, æternum & ſemper exiſtens dicebatur. Hinc Filium ſemper in Patre extitiſſe probat * *Novatianus* his verbis; *Qui enim ante omne tempus eſt, ſemper in Patre*

* *Cap.* 29, 30.

fuiſſe

fuiſſe dicendus eſt. Atq; huc ſpectant hæc *Irenæi* verba: " * Et quoniam Verbum, id eſt, Filius, " ſemper cum Patre erat, per multa demonſtravi- " mus: Quoniam autem ſapientia, quæ eſt Spiri- " tus, erat apud Deum *ante omnem conſtitutionem*; " per *Solomonem* ait Deus, *Sapientia fundavit terram.* Et rurſus; *Dominus creavit me principium viarum ſuarum ad opera ſua, ante ſæculum fundavit me.* Ubi idem eſſe videtur, Verbum cum Patre ſemper eſſe; & ſapientiam, cui principium adſcribit, *fuiſſe apud Deum ante omnem conſtitutionem.* * *L.* 4. *c.* 37. *p.* 331.

Reſpondeo 2°. Ex communi Patrum *Ante-Nicænorum* ſententia, Verbum ſive Filius ſemper in Patre fuiſſe, & eidem coextitiſſe dicebatur, ἐνδιαθέτως; quoniam Pater ſemper erat λογικὸς, id eſt, rationalis; ante vero Mundi ortum à Patre dicunt eum profiluiſſe, proveniſſe, & generatione προφορικῶς extitiſſe, atq; ita conditum eſſe *principium viarum ſuarum ad opera ſua.* Ita *Athenagoras*, *Theophilus*, *Tatianus*; ſed præ omnibus † *Tertullianus* his verbis: " Aiunt quidem & *Geneſin* in *Hebraico* ita " incipere, *in principio Deus fecit ſibi Filium*; hoc " ut firmum non ſit, alia me argumenta deducunt " ab ipſa Dei diſpoſitione, quæ fuit ante Mundi " conſtitutionem *aduſq;* *Filij generationem.* Ante " omnia enim Deus erat ſolus, ipſe ſibi & mundus, " & locus, & omnia; ſolus autem, quia nihil aliud " extrinſecus præter illum; cæterum nec tunc qui- " dem ſolus; habebat enim ſecum, quam habebat " in ſeipſo, rationem ſcilicet ſuam; rationalis enim " Deus, & ratio in ipſo prius.---ideoq; jam in uſu " eſt noſtrorum, per ſimplicitatem interpretationis, " dicere Sermonem in primordio apud Deum fuiſſe, " cum magis rationem competat antiquiorem ha- " beri, quia non ſermocinalis à principio, ſed ra- " tionalis Deus etiam ante principium. Nam etſi " Deus nondum Sermonem ſuum emiſerat, proinde " eum cum ipſa & in ipſa ratione, intra ſeipſum " habebat. † *Contra Prax. c.* 4.

Argu-

* *Ibid.* p. 129. Argumentum * *Præſulis* ex verbis *Irenæi* dicentis, *immenſum Patrem à Filio menſurari; menſura enim Patris Filius, quoniam capit eum*; reſponſo indignum exiſtimo. Infirmum etenim eſt argumentum ex metaphora ductum; & homines *capere* Deum non ſemel *Irenæus* aſſerit. Vide l. 4. c. 59. & l. 5. cap. ult. *Magnitudinem Dei* capere Filium non dicit.

Porro, Spiritum Sanctum plane excludere vide-
† *L.* 4. *c.* 1. tur à vera Deitate & Dominio, dicendo, † *firmum & conſtans eſſe, neminem alterum Deum & Dominum à Spiritu prædicari, niſi eum qui dominatur omnium Deus, cum Verbo ſuo, & eos qui adoptionis Spiritum accipiunt, hoc eſt, eos qui credunt in unum verum Deum, & Chriſtum Filium Dei. Similiter & Apoſtolos neminem alium à ſemetipſis Deum appellaſſe, aut Dominum cognominaſſe: Multo autem magis Dominum noſtrum, qui & nobis præcepit neminem Patrem confiteri, niſi eum qui eſt in cælis, qui eſt unus Deus, & unus Pater.* Et paulo ante; *multis modis manifeſtavimus neminem alium, Deum appellari à Scripturis, niſi Patrem omnium, & Filium, & eos qui adoptionem habent.* Ex quibus manifeſto ſequitur, juxta *Chriſti*, S. *Scripturæ*, & *Spiritus Sancti* doctrinam, nec Deum nec Dominum nominandum eſſe *Spiritum Sanctum*; nec hoc ex *Scripturis* probare nititur *Irenæus*, prout de Filio ſæpius ab eo factum eſt.

Contra hæc *Præſul Cl.* duo ex *Irenæo* in ſe ſuſcipit probanda. Primo, *Spiritum Sanctum* eſſe *perſonam.* Et quidem optatò accidit rem hanc eſſe à ſolis *Socinianis* negatam, ab alijs omnibus conceſſam. Certum etenim eſt teſtimonia allata id neutiquam
‖ *L.* 4. *c.* 14. probare. ‖ *Teſtimonium accipit Chriſti vera humanitas & Deitas*, inquit *Irenæus*, *à Patre, à Spiritu, & ab Angelis.* Et hic ſententiam claudit *Præſul*; pergit vero *Irenæus*; *ab ipſa conditione, & ab ipſa morte.* Ex quibus non magis ſequitur, *Spiritum Sanctum*

Sanctum inter perſonas numerandum eſſe, quam ipſam conditionem, & mortem. *Unus Deus Pater, & unus Filius, & unus Spiritus Sanctus*; ita *Præſul* definit: *Una fides, & ſalus omnibus credentibus in eum*; ita *Irenæus*. An ergo *fides*, & *ſalus* ſunt perſonæ? Nec validiora ſunt ea quæ ad *Spiritus* Sancti Deitatem firmandam *Præſul* adducit. Nec enim Spiritum Sanctum ſenſu famoſiori æternum fuiſſe, ex eo recte colligitur, quod ſemper Deo Patri adeſſe dicitur: Id enim hoc tantum indicare, quod Patri adfuit ante omnem conditionem, in eodem capite oſtenſum eſt; idq; *Irenæus* ſatis innuit probando, ſapientiam ante omnem conditionem fuiſſe apud Deum, ex his verbis *Solomonis*; *Deus ſapientiâ fundavit terram*; *paravit autem cœlum prudentiâ*, *Pro.* 3. 19, 20. Et iterum, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum ad opera ſua.*

Nec magis colligitur vera *Spiritus Sancti* Divinitas ex eo quod Patri adjungitur, id eſt, interprete * *Irenæo*, miniſtravit in opere Creationis, *in quo miniſtravit ei ſua progenies, & figuratio ſua*, id eſt, *Filius & Spiritus, Verbum & ſapientia ſua.* Hinc poſt verba à *Præſule* allata, ſequuntur hæc ex *Apoſtolo* citata, *Unus Deus Pater, ex quo omnia.* * *L.* 4. *c.* 17.

Deniq; conſtat locum, quem *Præſul* nobiliſſimum appellat, perperam ab eo intellectum eſſe; vereq; expoſitum, nihil prorſus ad rem facere; Non enim ibi agitur de afflatu quo conditio omnis, & creatura univerſa creata eſt, per Spiritum; ſed, ut *Irenæi* verba perſpicue docent, de afflatu vitam omnibus præſtante, & de Spiritu Sanctos regenerante. Hinc dicit, † *afflatum hunc omni, qui ſub terra eſt, populo datum eſſe*; *Spiritum vero* proprie *his qui terrenas conculcant concupiſcentias*: Et de afflatu loquitur *tempore aliquo manente, deinde abeunte, & ſine ſpiramento relinquente illud in quo fuit ante*; de Spiritu vero, non ſemper in Deo ab æterno exiſtente, ſed *ſemper cum homine perſeverante*, † *L.* 5. *c.* 12.

rante, & nunquam eum relinquente; eaq; de cauſa afflatum *temporalem*, Spiritum vero *ſempiternum* nuncupat.

Levioris adhuc momenti eſt hæc *Præſulis* concluſio; *Nihil hic moramur inconcinnam locorum Iſaiæ interpretationem*; *neq; enim hic Irenæum conſulimus ut feliciſſimum ubiq; Scripturæ Interpretem, ſed ut teſtem Apoſtolicæ traditionis fide digniſſimum.* Nec enim *teſtem* hic ſe exhibet *Irenæus*, ſed *Iſaiæ* Interpretem; nec ea quæ dicit, *ex Apoſtolica traditione* confirmat, ſed tantum ex *Iſaiæ* verbis infert, præfatione hac præmiſſa, *propter hæc Iſaias ait.* Nec deniq; ad *Iſaiam* provocat, ut hunc articulum fidei corroboret, ſed tantum ut oſtendat expulſam eſſe hominum priorem vitam afflatu Dei conceſſam, per mortem; & aliud eſſe πνοὴν ζωῆς *afflatum vitæ*, qui animalem efficit hominem, aliud πνεῦμα ζωοποιοῦν, i. e. Spiritum vivificantem, qui Spiritalem efficit eum. Certum igitur eſt, *Præſulem* in his omnibus à vero deviaſſe.

Unum adhuc obſervandum ſupereſt; nempe *Præſulem* ſectione quarta, cap. 20. n. 3. p. 448. ex *Irenæo* argumentum ſic ducere: " In celebri illo lo-
" co, l. 2. c. 43. ubi comparationem inſtituit inter
" Verbum & creaturas, hoc præcipuum diſcrimen
" expreſſe notat, *quod nulla creatura æqualis ſit*
" *factori*, hoc eſt, Deo Patri; eo ipſo manifeſte ſig-
" nificans, Verbum & Filium Dei, Deo Patri
" prorſus æqualem eſſe.

Reſpondeo, mala fide *Præſulem* hic verba *Irenæi* recitare, nec vera de comparatione loqui. Inſpice enim, Lector, & invenies *Irenæum* comparationem inſtituere, non *inter Verbum & creaturas*, ſed inter *ſcientiam Creatoris & creaturæ*; & docere hominem ſcientia in infinitum minorem eſſe Deo, utpote qui ex *parte acceperit gratiam*, & qui *nondum æqualis* vel *ſimilis* ſit Factori, id eſt, nondum, ut Patres loqui ſolent, eſt θεοποιούμενον *Deus factus*, aut,

juxtà *Irenæum*, nondum ‖ χωρήσας τὸν *Deum capiens*, ‖ *L.* 4. c. 59.
nondum * *glorificatus*, & *valens* ἰδεῖν τὸν ἑαυτῆς Δεσπότην * *Ibid.* c. 75.
videre Deum ſuum. Tempus autem erit, quando † *univerſa Spiritus gratia ſimiles nos ei efficiet*, † *L.* 5. c. 8.
& perficiet voluntate Patris. Et ‖ deniq;, *Verbum* ‖ *L.* 5. c. 1.
Patris, & Spiritus Dei adunitus antiquæ ſubſtantiæ plaſmationis Adæ, viventem & perfectum efficiet hominem, capientem perfectum Patrem.

SECTIO TERTIA.

De Fide Clementis Alexandrini.

UT fidem *Clementis* felicius perveſtigem, exordium ſumam, cum * *Photio*, à libris *hypotypoſeων*, qui, teſte eodem, continebant *locorum quorundam Veteris & Novi Teſtamenti interpretationem* κεφαλαιωδῶς *ſummatim factam.* Hunc librum in † procœmio libri ſeptimi Stromateων, promittit *Clemens* his verbis; *Dictionum prophetìcarum mentionem in præſenti non faciemus, tempore opportuno poſtea uſuri Scripturis*; τὰ δ' ἐξ αὐτῶν δηλούμενα σημαινομένων κεφαλαιωδῶς, *quæ autem ex ijs ſunt manifeſta, ſummatim indicabimus.* Ex quibus conſtat hunc librum, poſt Stromata, à *Clemente* compoſitum fuiſſe; à *Clemente* inquam, ſe in hoc opere agnoſcente *Pantæni* Diſcipulum, ſub cujus diſciplina divinarum Scripturarum ſtudijs incubuit. In hoc autem opere, teſte eodem *Photio*, εἰς ἀσεβεῖς λόγους ἐκφέρεται *in impios ſermones, ſexcentis blaſphemijs refertos, prorumpit*, καὶ τὸν Υἱὸν εἰς κτίσματα διάγει *& Filium* (Dei) *in creaturam deprimit.* Ex quibus manifeſtum eſt *Clementem*, quo magis ætate, doctrina, & Scripturarum ſtudio increviſſet, eo magis ad ea quæ, *Photij* judicio, *improba* & *blaſphema* habebantur,

* *Cod.* 109. p. 288.
† *P.* 700.

bantur, proclivem fuisse: eaq; quæ in ætate juvenili, pædagogi officium præstans, probaverat; eundem, ætate provectiorem, improbasse, & tantum non retractasse.

Prætendit vero hic *Præsul, agnoscere hodie eruditos blasphema illa Clementis, germana minime fuisse, sed ipsi ab Impostore aliquo afficta; quod ipsorum judicium ab ipso Photio abunde confirmatur.*

Pace viri dico, neutrum horum verum esse. Sunt quidam inter eruditos, qui dicunt, nulla ratione adhibita, *ea germana esse non videri*; qui id protinus agnoscat, nemo. *Photius* hoc tantum dicit, *sexcenta alia, blasphema voce, nugatur,* εἴτε αὐτὸς, εἴτε τις ἕτερος τὸ αὐτῷ πρόσωπον ὑποκρινάμενος *sive is, sive alius quis, ejus personam per hypocrisin induens.* Nec mirum est *Photium* hæc disjunctim posuisse, utpote qui noverit vel ipsum *Pamphilum*, vel certe *Ruffinum*, hoc in *Origenis* & *Clementis* excusationem prætendisse. Non est flocci facienda *Ruffini* in hac re sententia, qui levissima hac ratione inductus, falsatos esse *Clementis* libros pronuntiat, quod in libris suis interdum dicit, *Dei Filium esse Creaturam.* Digna res est quæ ex *Hieronymo* fusius declaretur; ut quam absurdum sit hoc effugium, ex ejusdem ad *Ruffinum* responso appareat. * *Videamus*, inquit, *quibus Argumentis probare nitatur Origenis ab Hæreticis scripta vitiata. Clemens*, inquit, *Apostolorum discipulus libros edidit, qui appellantur Recognitio, in quibus, cum, ex persona Petri Apostoli, doctrina quasi vere Apostolica in quam plurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomij dogma inseritur, ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum de nullis extantibus asseverans. ---Clementem quoq; Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyterum, scribit in libris suis, Dei Filium dicere creaturam; & Dionysium Alexandrinum, contra Sabellium quatuor voluminibus disputantem, in Arianum dogma delabi; & sub ijs exemplis illud agit, ut non Ecclesiasticos,*

* *Apol. 2. contra Ruffin. F. 79.*

ſiaſticos & catholicos viros male ſenſiſſe, ſed ab Hæreticis eorum ſcripta corrupta eſſe teſtetur. Hoc, inquit *Hieronymus, ſi concedatur, ut quicquid in libris omnium reperitur, ab aliis corruptum ſit, nihil eorum erit quorum fertur nominibus, ſed his deputabitur à quibus dicitur eſſe vitiatum.* 2°. *Hac,* inquit, *defenſionis perturbatione, nec Marcion, nec Manichæus, nec Arius, nec Eunomius, accuſari poterunt; quia quicquid nos ab ipſis impie dictum objecerimus, Diſcipuli reſpondebunt non à Magiſtris ita editum, ſed ab inimicis eſſe violatum.* 3°. Reſpondet, *fieri potuiſſe ut hi Patres vel ſimpliciter erraverint,--vel ante Arij ortum innocenter quædam, & minus caute loquuti ſint, quæ non poſſunt perverſorum hominum calumniam declinare.* Deniq; concludit, *Ruffinum hæc in Origenis excuſationem protuliſſe, præmiſſa falſatione ab Hereticis, Apoſtolorum & utriuſq; Clementis atq; Dionyſij ſcripta depravata eſſe.*

His adde, quod ab opere eodem dempta ab ipſo offendicula * *Caſſiodorus* ingenue fatetur, dicendo, *ſe Commentarios Clementis in Epiſtolas Canonicas* (Epiſtolas nimirum *D. Pauli*, & Catholicas, quas inter opera blaſphemijs referta ibidem *Photius* enumerat) *ita in Latinum ſermonem tranſtuliſſe, ut excluſis offendiculis, purificata doctrina ſecurius poſſit hauriri.* Ex quibus verbis conſtat, *offendicula iſta*, de quibus *Photius* queritur, adhuc in Commentarijs *Clementis in Epiſtolas D. Pauli, & Catholicas*, permanſiſſe. Deniq; ejuſdem *Clementis* operibus aliqua *Arianorum* manibus addita fuiſſe ſuſpicantur aliqui, probavit nemo.

* *De Inſtit. divinar. ſcript. l. 1. c. 8.*

In libro *Stromateων*, notante eodem *Photio*, ἐνιαχοῦ οὐκ ὑγιῶς διακαμβάνει *alicubi non ſane diſſerit.* Inter non ſana autem vereor ne ſint iſta, in quibus docet *Stoicos* exiſtimaſſe, Deum univerſam pervadere eſſentiam, quoniam non intellexerunt hæc *Solomonis* verba, *Sapientia tranſiit & evaſit omnia*, dici

* Strom. 5. p. 591. * περὶ τῆς σοφίας τῆς προφορικῆς τοῦ θεοῦ *de ſapientia primo à Deo creata.* His adde quod ex *Petri prædicatione* probat ὅτι εἷς τῷ ὄντι ἐστὶ θεὸς *quod unus revera Deus eſt, qui principium omnium fecit;* † Strom. 6. p. 644. † μυνάδων τὸν πρωτόγονον υἱὸν, ὃ Πέτρος φησὶν, συνεὶς ἀκριβῶς τὸ, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *per principium intelligens primogenitum ejus Filium, quod ſcribit Petrus, accurate intelligens illud, In principio fecit Deus cœlum & terram.* Alibi in ſe ſuſcipit oſtendere, ‖ Strom. 7. p. 700. ‖ *ſolum pium & ſanctum* τὸν τῷ ὄντι θεὸν θεοσεβῶς θρησκεύειν, *eum, qui vere Deus eſt, prout Deo convenit, colere.* Is ergo, inquit, *exiſtimat, quicquid eſt excellens, honorandum eſſe* κατὰ τὴν ἀξίαν *juxta ejus dignitatem; in rebus quidem ſenſibilibus Magiſtratus & parentes,* ἐν δὲ τοῖς νοητοῖς *in iis autem quæ intellectu percipiuntur,* τὸ πρεσβύτερον ἐν γενέσει, τὸν ἄρχοντα καὶ ἀνάρχον, ἀρχήν τε καὶ ἀπαρχὴν ἁπάντων ὄντων, τὸν υἱὸν, παρ' οὗ μαθητεύειν ἐπαινετὸν ἄπιον, τὸν πατέρα τῶν ὅλων, *id quod eſt vetuſtius in generatione, eum ſcilicet qui tempore caret & principio, principium & initium omnium, Filium* (ejus,) *à quo diſcenda eſt ſuprema cauſa, id eſt, omnium Pater, qui eſt vetuſtiſſimus, & omnium maxime beneficus;* quem, inquit, pius perſuaſus eſt * Strom. 7. p. 711. * μόνον εἶναι τὸν μόνον θεὸν, *eum ſolum eſſe, qui eſt ſolus Deus.* Deniq;, † Strom. 7. p. 733. † *Apoſtolus,* inquit, *appellavit Filium, characterem gloriæ Patris, qui veritatem de Deo docuit;* nempe ὅτι θεὸς, καὶ πατὴρ εἷς, καὶ μόνος ὁ παντοκράτωρ, *quod Deus & Pater unus & ſolus eſt omnium Creator, quem nemo novit niſi Filius:* ἵνα δὲ εἶναι θεὸν *unicum autem eſſe Deum. Per hæc verba, Quærentium faciem* τοῦ Dei Jacob, indicatum eſt ὃν μόνον ὄντα θεὸν πατέρα ἀγαθὸν χαρακτῆρι τῷ *quem ſolum Deum exiſtentem, Patris boni nomine repræſentat Salvator noſter & Deus.* His verbis paria ſunt quæ docet idem *Clemens,* libro cui titulus eſt, *Quis dives ſalvabitur?* ubi poſtquam dixiſſet Chriſtum ὡς θεὸν προειδέναι *ut Deum prævidiſſe non tantum quæ interrogandus erat,*

erat, *ſed quæ quis ei interroganti reſponſurus eſſet*; pergit ad hunc modum; *vocatus cum eſſet bonus, à primo hoc verbo occaſionem accipiens, doctrinam inde adoritur, convertens diſcipulum* ‖ ἐπὶ τὸν θεὸν τὸν ἀγαθὸν, καὶ πρῶτον, καὶ μόνον ζωῆς αἰωνίου ταμίαν, ὃν ὁ υἱὸς δίδωσιν ἡμῖν παρ' ἐκείνου λαβών, *in Deum bonum, primumq; ſolumq; vitæ æternæ diſpenſatorem, quam Filius, ab eo accipiens, dat nobis. Maximum itaq;, & quod eſt omnium documentorum ad vitam æternam ſpectantium caput, ab initio animo inſerendum eſt*; nempe γνῶναι τὸν θεὸν ἀϊδιότον, καὶ σωτῆρα ἀϊδίων, καὶ πρῶτον, καὶ ὑπέρτατον, καὶ ἕνα, καὶ ἀγαθὸν θεὸν, *ſcire Deum ſempiternum, & æternorum datorem, & primum, & ſupremum, & unum, & bonum Deum eſſe*; & ſcire ἔπειτα τὸ μέγεθος τοῦ Σωτῆρος μετ' ἐκεῖνον *deinceps poſt illum, magnitudinem Salvatoris noſtri.* Plura his addere non eſt neceſſe, fatente * *Combefiſio*, " librum hunc à *Cariophylo Origeni* adſcriptum " fuiſſe, propter illam errorum colluviem quæ & " *Origeniana* pene omnia fædat, nec ab hoc libro " abeſſe, ſed in eo luxuriaſſe ipſi viſa eſt. Quo " tamen, inquit, non conficitur eſſe hoc opus *Ori-* " *genis*, ſed unum hoc, non eſſe *Origenem* primum " Authorem ſuorum illorum errorum, ſed diu an- " tea hæſiſſe in *Alexandrina* ſchola, quos ille ma- " gis produxit. Quo facit & illa *Petri Alexandri-* " *ni* expoſtulatio, de ijs quæ paſſi ſunt ejus ſedis, " illoq; ſuperiores Epiſcopi, à *Presbyteris*, purio- " rem Evangelij doctrinam philoſophicis errori- " bus aſpergentibus, multaq; non eccleſiaſtica Ec- " cleſiæ moribus ingerentibus.

‖ *Apud Combef. p. 166. §. 6, 7, 8.*

* *Not. p. 187.*

Ad ea quæ in hoc libro & ſeptimo Stromateon tam aperte enuntiant Deum Patrem ſolum eſſe Deum primum, ſupremum, unum, bonum, &c. nullum apud *Præſulem* reſponſum invenio.

Ad primum Argumentum, quo Chriſtus πρωτότοκος *primo à Deo creatus* appellatur reſpondet; τὸν κτιστὸν *creatum*, hoc in loco, idem ſignificare quod γενητὸν, id eſt, *genitum*.

Sed violentam, & coactam esse hanc interpretationem pronuntio; τὸ κτισὸν enim apud nullos Lexicographos aliud est quam res creata, sive ex nihilo producta; nec apud Patres *Ante-Nicænos*, quicquid è contra *Valesius* produxerit, generationem ab æterno indicat.

2°. His adde quod interpretationem hanc verba *Clementis* respuunt; loquitur enim ex mente antiquissimorum *Judæorum*, qui hanc de divina sapientia Theologiam, ad quam hic respicit *Clemens* citando *Sapient. cap.* 7. *v.* 23, his verbis docuerunt, πρωτίστα πάντων ἔκτισεν σοφία *præ omnibus creata est sapientia*, Eccluſ. 1. 4. & v. 9, ὁ Κύριος ἔκτισεν αὐτὴν *Dominus creavit eam.* Et c. 24. 9. inducit hanc sapientiam ita loquentem, *ante sæcula* ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με, *à principio creavit me.* Deniq; certum est idem esse πρωτόγονος, ac πρωτότοκος; est autem πρωτότοκος nomen omnibus tam animalibus, quam hominibus primogenitis commune.

Ad Argumentum ex verbis *Clementis de prædicatione Petri* desumptum, respondet *Præsul Cl. Græcis & nobis Anglis commune esse* ποιεῖν τέκνα *uti* pro *Filios generare.* Quod quidem non tantum futile & coactum esse ex eo liquet, quod ποιεῖν τέκνα est tantum *liberos procreare*, nec generant Patres Filios eandem numero ijs naturam communicando; sed ex eo potissimum, quod hæc cum *Clementis* verbis sunt plane pugnantia; unus enim, inquit, *revera est Deus* ὁς ἀρχὴν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν *qui principium omnium fecit; significans primogenitum ipsius Filium, quod scribit Petrus clarè intelligens illud,* ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς *in principio fecit Deus cælum & terram; quo sensu igitur fecit Deus cælum & terram, fecit hoc principium, id est, Filium.*

Hactenus *Clementis* verba, cum *Præsulis* sententia clare multisq; modis pugnantia, in medium adduximus. Duo tamen adducit *Præsul* ex libris *Stromateum*, quæ quidem ad ipsius sententiam stabiliendam

biliendam ſunt prorſus invalida. * Secundus enim locus id tantum dicit, quod *Arianorum* nemo negat, *Chriſtum* ſcilicet *ea omnia ſcire quæ* (in hac vita) *aguntur*. † Primus locus vim ſuam debet malæ interpretis verſioni, quam ſequitur *Præſul*; cum enim dicit *Clemens*, *Dominum Jeſum eſſe inſpectorem cordium noſtrorum* παντοκρατεικῷ θελήματι, non ſunt hæc verba reddenda *omnipotenti ſua voluntate*, (non enim dicit παντοκρατεικῷ θελήματι αὐτῦ, quod hæc verſio poſtulat,) ſed potius *eum cordium noſtrorum inſpectorem eſſe* τῦ παντοκράτορ☉ θελήματι *Omnipotentis* (Dei) *voluntate*; eſt enim πατεικὸς λόγ☉ *Patris verbum*, ‖ πατεικὴ δύναμις *Patris poteſtas*; eſt Filius, juxta *Clementem*, *author & cauſa omnium*, * θελήματι τῦ παντοκράτορ☉ πατρὸς *ex voluntate Patris Omnipotentis*, & ἐκ θελήματ☉ τῦ πατρὸς *ex voluntate Patris gubernat omnium ſalutem*. Per Filium omnia facta eſſe dicit κατὰ τὴν βέλησιν τῦ πατρὸς *ſecundum Patris conſilium*. Eſt deniq; ἡ υἱῦ φύσις ἡ τῷ μόν☉ παντοκράτορι σφοδρότατα, ἢ τὰ πάντα διατάσσεται κατὰ τὸ θέλημα τῦ πατρὸς *Filij natura ea quæ eſt ſoli omnipotenti maxime affinis, & quæ omnia ordinat ex Patris voluntate*: eſtq; is μάλιστα ἐξυπηρετῶν τῷ τῦ ἀγαθῦ καὶ παντοκράτορ☉ θελήματι τῦ πατρὸς *maxime inſerviens voluntati boni & omnia regentis Patris*.

* *Stro.* 7. *p.* 711.

† *Stro.* 4. *p.* 517.

‖ *Stro.* 7. *p.* 702, 704.

* *Stro.* 7. *p.* 702, 703, 704.

Deniq; ex *Clementis Protreptico* hæc verba adducit *Præſul* Cl. † ὁ θεῖ☉ λόγ☉ ὁ φανερώτατ☉ ὄντως θεὸς, ὁ τῷ Δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθεὶς, ὅτι ἦν υἱὸς αὐτῦ, καὶ ὁ λόγ☉ ἦν ἐν τῷ θεῷ, *Sermo divinus, qui revera eſt Deus manifeſtatiſſimus, univerſorum Domino æqualis factus, quoniam erat Filius ejus, & Verbum erat in Deo*. " Ex quibus, inquit *Præſul*, Verbum ſeu " Filium Dei hic Patri exæquatum eſſe diſerte " pronuntiat; idq; eo nomine, quod ipſius Filius " eſt, (*ex ipſo natus, ejuſdemq; cum ipſo naturæ & eſſentiæ,*) quodq; in Deo ſit Verbum (*hoc eſt in ipſa eſſentia divina.*) Quis hic non videt integram hujus Argumenti vim non in *Clementis* verbis,

† *P.* 68.

ſed

ſed in *Præſulis* interpretatione ſitam? Non enim hic dicit *Clemens* Filium ex Patris numerica eſſentia, ſed * ἐκ τῆς πατρικῆς βουλήσεως ἀνατεῖλαι *ex Patris voluntate ſive conſilio ortum duxiſſe*; in quo, cum *Juſtino M.* & Patribus fere omnibus *Ante-Nicænis* loquitur.

* *Ibid. p. 69.*

Ego contra contendo, verba hæc τῷ δεσπότῃ πᾶν ὅλων ἐξισωθεὶς *Domino omnium æqualis factus eſt*, ſententiæ *Præſulis* adverſari. Quod enim *factus* eſt Filius, ex natura non fuit. Dicit inſuper *Clemens*, *ſententiam hanc, adeo omnibus hominibus inſitam eſſe, ut vel inviti agnoſcant* † ἕνα τε εἶναι θεὸν ἀνώλεθρον καὶ ἀγήννητον *unum eſſe Deum ingenitum, & interitui non obnoxium.* Idemq; ad fidem Chriſtianam amplectendam *Gentes* his verbis provocat; *Cantabis cum Angelis hymnum* ‖ ἀμφὶ τὸν ἀγήννητον, καὶ ἀνώλεθρον, καὶ μόνον ὄντως θεὸν *circa ingenitum, & interitui non obnoxium, & ſolum verum Deum*; συνυμνοῦντος ὑμῖν θεοῦ λόγου *vobiſcum ſuccinente Dei Verbo, qui eſt ſempiternus Filius & magnus Sacerdos* τοῦ θεοῦ ὄντως αὐτοῦ, καὶ πατρός, *ejus qui Deus ipſius, & Pater eſt. Venite ergo ad me omnes gentes, & Barbari, quorum ego ſum conditor* θελήματι τοῦ πατρὸς *ex voluntate Patris*, ὑφ' ἕνα παχθησόμενοι θεὸν, καὶ τὸν ἕνα λόγον τοῦ θεοῦ, *ſub Uno Deo collocandi, & uno Dei Verbo.* Ex quibus conſtat unum illum Deum, quem omnes ex communi ſententia agnoſcunt, eundem plane eſſe, quem *unum verum Deum* eſſe *Clemens* enuntiat, quemq; his indicijs à Deo Verbo diſtinguit & ſeparat: quod uni huic Deo hymnos canunt Angeli & Chriſtiani, una cum ijs hymnum canente Dei Verbo. Ille *ingenitus, & ſolus vere Deus eſt*; Filius vero eſt *magnus Sacerdos* ejuſdem Dei & Patris illius. Deniq; Chriſtiani ſub uno hoc Deo, & uno Dei Verbo diſponendi ſunt. Eſt ergo *Deus Filius Deo Patri æqualis factus, quia Deus Pater omnem poteſtatem ei conceſſit in cælo & in terra*, Matth. 28. 18. Joh. 17. 2. *Omne judicium*

† *Ibid. p. 45.*

‖ *Ibid. p. 74, 75. quæ cum pagina 70 conferenda ſunt.*

judicium Filio dedit, Joh. 5. 22. *omnia ſubjecit pedibus ejus*, 1 Cor. 15. 22. *eum ad dextram ſuam collocavit, ſubjecitq; ei Angelos, poteſtates, & virtutes*, 1 Pet. 3. 22. *eum deniq; conſtituit Hæredem omnium*, Hebr. 1. 2. hanc, inquam, eſſe *Clementis* in his verbis ſententiam, ex prædictis eſt pluſquam veroſimile.

Sectio Quarta.

De Fide Tertulliani.

Tertullianus, fateor, agnoſcit Filium ex Dei Patris ſubſtantia prolatum eſſe; tria tamen ſunt quæ *Præſulis Cl.* Argumentum ex his verbis ductum, protinus enervant.

1°. Quod non intelligit eandem numero ſubſtantiam, ſed tantum ejuſdem generis, ſive ejuſdem ſpeciei ſubſtantiam; quam ſolam unitatem Patres omnes intellexiſſe ὁ πάνυ *Cudworthius* contendit. * " Deo, inquit, propriam ſubſtantiam, Spiritum " inſcribimus, cui & ſermo inſit prænuntianti, " & ratio adſit diſponenti, & virtus præſit perfici- " enti. Hunc ex Deo prolatum didicimus, & pro- " latione generatum, & idcirco Filium Dei & " Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ: nam & " Deus Spiritus. Audi quomodo eſt Deus ex unitate ſubſtantiæ; nempe quia Spiritus eſt, prout Pater. Ita autem duo Angeli ſunt unum ſubſtantiâ, & filius naturalis eſt unus cum patre, utpote qui ſpecie eandem humanam naturam habeat. Id liquet ulterius ex his verbis, *ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accenſum*: Certum etenim eſt, id alterum numero lumen efficere. Cum ergo poſtea dicit, Filium eſſe *modulo alterum*,

* *Apol. c. 21.*

alterum, non numero, id respicit peculiarem ejus sententiam, quam in Appendice produximus, & hic commate sequente.

II. 2°. Quod Patrem Filio substantia majorem constituit, immo eatenus majorem, quatenus tota substantia ejusdem portione major sit. * " *Pater* " enim, inquit, *tota substantia est*; *Filius* vero *de-* " *rivatio totius, & portio*; *sicut ipse profitetur di-* " *cens, Quia Pater major me est.* Alibi contra † *Marcionem, Judæos* Christum non nosse, ex ijs quæ *Marcion* concessit, probat; nempe " Non " negans enim Filium & Spiritum, substantiam " Creatoris esse; concedas, necesse est, eos qui " Patrem non agnoverunt, nec Filium cognoscere " potuisse per substantiæ conditionem; cujus si " plenitudo intellecta non sit, multo magis portio, " quâ plenitudinis *consors*. Hinc in *Apologiæ* loco prius allato, *Ita est*, inquit, *de Deo Deus, ut radius ex sole porrigitur, portio ex summa.* Respondet *Præsul Cl.* " dicta illa *Tertulliani* non esse ad vivum " resecanda, sed candide ex æquo & bono, atten- " dendo nimirum ad mentem ac sententiam " Auctoris alibi clarius & verbis propriis expli- " catam, accipienda sunt. Esto: Quid clarius his verbis quæ libri primi contra *Marcionem* c. 3. sic se habent; " Deus, si non unus est, non est. Ergo " & Deus unicus erit, non aliter unicus nisi sum- " mum magnum; nec aliter summum magnum, " nisi parem non habens; nec aliter parem non ha- " bens, nisi unicus fuerit. Duo ergo summa mag- " na quomodo consistent, cum hoc sit summum " magnum, par non habere; par autem non habe- " re cum uni competat, in duobus esse nullo modo " possit. Cum igitur in eodem opere hæc legi- mus, ‖ *omnia sibi tradita esse dicit Filius à Patre*; *credas, si Creatoris est Christus, cujus omnia*; *quia non minori se tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit, per sermonem scilicet suum*: hæc ex ipso

* *Contr. Prax. c.* 9, 26.

† *L.* 3. *c.* 6.

‖ *L.* 4. *c.* 25.

ipſo *traditionis* verbo, & ex tempore quando ſunt tradita, nempe poſt Chriſti reſurrectionem, non ad Filij naturam, ſed ad auctoritatem à Patre ipſi traditam referenda eſſe perſpicuum eſt.* Porro ſuſpicor legendum eſſe, *non minorans ſe, tradidit* &c. Cum dicit * Sermonem Deum *non rapinam exiſtimaſſe pariari Deo*, explicat ipſe *Septimius* quando & quomodo *par* factus fuerit, nempe † *cum dixit Deus, fiat lux. Exinde eum parem ſibi faciens, de quo procedendo Filius factus eſt primogenitus*: Quanquam, ut verum fatear, non *parem* ibi, ſed *Patrem* legendum eſſe, exiſtimo: *parem* enim non ibi ad Filium, ſed ad Patrem referre, manifeſtum eſt. Cum dicit, ‖ *Filium demonſtrari ſuo jure Deum Omnipotentem*, verba immediate ſequentia rem ſic explicant; " qua Ser-
" mo Dei Omnipotentis, quaq; omnium accepit po-
" teſtatem; *Altiſſimus* (dicatur) qua dexterâ Dei
" exaltatus, ſicut *Petrus* in actis concionatur; *Do-*
" *minus virtutum*, quia omnia ſubjecta ſunt illi à
" Patre, (i. e. jure,) non naturali, ſed à Patre tra-
" dito, adeoq; ſuo ex ejuſdem donatione. Cum
deniq; dicit * Chriſtus, *Ego & Pater unum ſumus*, duos oſtendit, *quos æquat, & jungit*; " hoc, inquit,
" non pertinet ad ſingularitatem, ſed ad unitatem,
" ad ſimilitudinem, ad conjunctionem, ad dilectio-
" nem Patris qui Filium diligit, & ad obſequium
" Filij qui voluntati Patris obſequitur". Non ergo abſolutam æqualitatem intelligit, ſed talem quæ cum Filij obſequio erga Patrem conſiſtit. Conſtat igitur hæc omnia bene conſiſtere cum ijs verbis, in quibus Filium portionem Patris nuncupat, & Patrem Filio majorem agnoſcit.

* *De reſur. carn. c. 6.*

† *Contra Prax. c. 7.*

‖ *Ibid. c. 17.*

* *Cap. 22.*

3°. Quod verbum hoc à Deo genitum, & Filium factum eſſe pronuntiat, non ab æterno, ſed paulo antequam hunc mundum conditurus eſſet. " Tum
" enim, inquit, Sermonem ex ſe protulit, ac *pro-*
" *priam* illi perſonam ac *ſubſtantiam* attribuit.
En verba ſua luce conſpicua! † Cum enim *Hermogenes* hoc argumento contendiſſet, materiam ab æterno

† *Adv. Hermog. c. 3.*

æterno extitiſſe, quia Deus ſemper Dominus fuit; non autem eum ſemper Dominum cenſeri potuiſſe, ſi non fuiſſet aliquid retro ſemper, cujus ſemper Dominus haberetur: Reſpondet *Tertullianus*; " Dei " nomen dicimus ſemper fuiſſe apud ſemetipſum, " & in ſemetipſo; Dominum vero non ſemper; " diverſa enim utriuſq; conditio; Deus ſubſtantiæ " ipſius nomen, id eſt Divinitatis; Dominus vero " non ſubſtantiæ, ſed poteſtatis; ſubſtantiam ſem- " per fuiſſe cum nomine, quod eſt Deus; poſtea " Dominus, accedentis ſcilicet rei mentio. Nam " ex quo eſſe cœperunt in quæ poteſtas Domini " ageret, ex illo, per acceſſionem poteſtatis, & " factus & dictus eſt Dominus; quia & Pater " Deus eſt, & judex Deus eſt; non tamen ideo " Pater, & judex ſemper, quia Deus ſemper. " Nam nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec ju- " dex ante delictum. *Fuit autem tempus cum & " delictum & Filius non fuit*, quod judicem, & " qui Patrem Dominum faceret. Ubi hæc adno- tat *Priorius*, " *Hoc in loco errorem cavendum omnes " facile agnoſcent, nimirum Arianiſmum. Notum " quippe eſt eorum verbum*, ἦν ὅτε οὐκ ἦν, *quæ voces " idem plane ſonant.* Capite 18°. contra *Hermo- genem* probat, non fuiſſe materiam Deo ad mun- dum condendum neceſſariam, " quia habuit ſecum " Sophiam ſuam. Ut enim neceſſariam ſenſit ad " opera mundi, ſtatim eam condit, & generat in " ſemetipſo. *Dominus*, inquit, *condidit me initium " viarum ſuarum ad opera ſua.* Agnoſcat igitur " *Hermogenes*, idcirco etiam Sophiam Dei natam " & conditam prædicari, ne quid innatum & in- " conditum præter ſolum Deum crederemus. Si " enim intra Dominum quod ex ipſo & in ipſo " fuit, ſine initio non fuit, Sophia ſcilicet ipſius " exinde nata & condita, ex quo in ſenſu Dei ad " opera mundi diſponenda cœpit agitari; multo " magis non capit ſine initio quicquam fuiſſe, " quod

" quod *extra Dominum* fuerit. Si vero Sophia " eadem, Dei Sermo eſt, ſenſu Sophia, & ſine quo " factum eſt nihil, ſicut & diſpoſitum ſine Sophia; " quale eſt ut Filio Dei, Sermone unigenito & " primogenito, aliquid fuerit, præter Patrem, an- " tiquius? *& hoc modo utiq; generoſius.* Ubi *Ambianas* ingenue agnoſcit, " quædam in hoc Auctore, " ſicut in alijs ejuſdem ætatis, eſſe æqui boniq; " conſulenda. Non adeo, inquit, perſpicua in An- " tiquis, Verbi æternitas, ac divinitas. Deum enim " omnes dicunt, æternum quidem ambigunt, aut " ambigendi anſam porrigunt; adeo ut nihil mirum " ſit, ſi, in re difficili, Patres *Nicæna Synodo An- " teriores*, minus dilucide locuti ſint, & *Ario* ijſ- " dem fere verbis, diverſo tamen ſenſu, *ſint præfati.* Hoc in duobus his locis *Septimium* feciſſe lubens agnoſcit his verbis: *Ecquid Arianus amplius?* Similia his ex libro * contra *Praxeam* antea adduxi, quibus hæc conſona ſunt, " ut primum Deus voluit " ea, quæ cum Sophiæ ratione & Sermone diſpo- " ſuerat, intra ſe, in *ſubſtantias* & ſpecies ſuas " edere, ipſum primum protulit ſermonem haben- " tem in ſe individuas ſuas, rationem, & Sophiam.-- " Tunc igitur ipſe ſermo ſpeciem & ornatum " ſuum ſumit, ſonum, & vocem, cum dicit Deus, " *Fiat lux*; hæc eſt nativitas perfecta ſermonis, " dum *ex Deo procedit*, conditus ab eo primum " ad cogitatum in nomine Sophiæ, *Dominus con- " didit me initium viarum*; dehinc generatus ad " effectum. Hæc ſunt quæ † *Huetium* dicere indu- cebant, *Tertullianum*, & alios pleroſq; ex Antiquiſſimis Doctoribus, *Nicæna Synodo anterioribus*, *Origenis* imperitiam dicam, an impietatem, vel æquaſſe, vel ſuperaſſe. *Petavium* itidem, eundem *Arianam Hæreſin* impietate & abſurditate ſuperaſſe. De Trin. l. 1. c. 5. §. 2.

* *Cap.* 5, 6, 7.

† *Origenian l.* 2. *c.* 2. *N.* 25.

Poſt tot ingenuas Virorum doctiſſimorum confeſſiones, *Tertullianum*, hac in re, Catholicum fuiſſe conten- IV.

contendit *Præſul Cl.* Sed mirum eſt quas hic tenebras clariſſimæ luci obducere conatur. Eſt enim, juxta *Septimium*, * *æternum id ſolum, quod eſt non natum, & ſine initio. Quis enim alius Dei cenſus quam æternitas? quis alius æternitatis ſtatus quam ſemper fuiſſe, & futurum eſſe, ex prærogativa nullius initij?* His ita poſitis, quid clarius his verbis, " Et Pater Deus eſt, & Judex Deus; non tamen " ideo Pater ſemper, quia Deus ſemper. Ubi manifeſto paternitatem ſempiternam Deo detrahit. Sequitur ratio, utriuſq; æternitatem deſtruens, viz. *non Pater potuit eſſe ante Filium. Fuit autem tempus cum Filius non fuit, qui Patrem Deum faceret.* Clarius adhuc; " Sic & Dominus non ante " ea quorum Dominus exiſteret, ſed Dominus " tantum futurus quandoq;, ſicut Pater (futurus " quandoq;) per Filium. Ubi Filium ab æternitate ſecludit, eam propriam Deo Patri conſtituendo. *Deniq; ſi hoc*, inquit, *ſit Dei proprium, ſemper fuiſſe, & ſine initio; ſolius Dei erit, cujus eſt proprium; &, ſi alij adſcribatur, jam non erit Dei proprium, ſed communc cum eo cui adſcribitur*; Eſſe autem hoc Deo Patri proprium, probat ex his D. *Pauli* verbis, *Unus Deus Pater, ex quo omnia.*

* *Adv. Hermog. c. 4.*

Reſpondet his *Præſul*, dolo malo uti *Septimium*, & Argumentis invalidis contra *Hermogenem* militare. Hoc autem non eſt reſpondere, ſed convitijs hunc Patrem onerare, idq; renitente ipſo *Septimio*, qui cum Argumentum in hoc ipſum protuliſſet ex mala verſione cap. 1. com. 1°. in *Geneſin, In principio Deus fecit ſibi Filium*, ingenue fatetur † hoc firmum non eſſe; adeoq; fortius probandum eſſe *ex ipſa Dei diſpoſitione, qua fuit ante mundi conſtitutionem, aduſq; Filij Generationem.*

† *Contra Prax. c. 5.*

Pergit *Præſul* oſtendere *Tertulliani* hoc Argumento utentis dolum, ex capite 18°. ejuſdem libri, ubi hæc habet. " Ut *neceſſariam Sophiam* ſenſit " Deus ad opera mundi, ſtatim eam condit & gene-

" rat

" rat in ſemetipſo. *Dominus, inquit, condidit me*
" *initium viarum ſuarum ad opera ſua.* Agnoſcat
" ergo *Hermogenes*, idcirco Sophiam Dei natam &
" conditam prædicari, ne quid innatum & incon-
" ditum præter ſolum Deum crederemus. Et *reli-*
qua ad hæc verba,-" quale eſt ut *Filio Dei unigenito*
" *& primogenito aliquid fuerit præter Patrem antiqui-*
us. Exclamat hic *Præſul*, " Papæ! Quis *Oedipus*
" nobis exponat hoc ænigma? illam Dei Sophiam
" quæ intra ipſum Deum eſt, quæ ex ipſo Deo
" eſt, quæq; adeo in ipſo Deo antea fuit, initium
" aliquando habuiſſe. Sed non iſti orationi *Oedipo*
opus eſt conjectore. Clarum certe eſt *Tertullianum*
aſſerere " Sophiam in Deo generatam & conditam
" fuiſſe, eo quod ipſe de ſe dicit, *Deus me condi-*
" *dit initium viarum ſuarum ad opera ſua.* Immo
" idcirco Dei Sophiam natam & conditam prædi-
" cari, ne quid innatum aut inconditum præter
" ſolum Deum crederemus. Si enim intra
" Dominum, quod in ipſo & ex ipſo fuit,
" ſine initio non fuit; quale eſt ut Filio Dei
" ſermone unigenito & primogenito, aliquid
" fuerit præter Patrem antiquius! Quid autem
clarius dici potuit adverſus *Præſulis* ſententiam?
Nec minus liquet quid velit *Septimius* dicendo,
Sophiam in Deo natam & conditam fuiſſe; nempe
eam conditam fuiſſe ad cogitatum, non ad effectum,
antequam quicquam extra Deum exiſtebat; atq; ita
conditam, ut cum ipſo, juxta locum Proverbiorum
allatum, eſſet; ab eo minime ſeparata, aut egreſſa.
Natus autem eſt ſermo Dei ex ipſo, quoniam ex
Deo prolatus eſt; *hunc enim*, inquit, *ex Deo pro-*
latum eſſe didicimus, & prolatione generatum, &
idcirco Filium Dei, & Deum dictum. Porro de So-
phia primo condita, & ſermone poſtea prolato, cla-
ra ſunt hæc *Septimij* verba, cap. 45. adverſus *Her-*
mogenem: Prophetæ, & Apoſtoli tradunt primo So-

phiam conditam initium viarum ad opera ipſius; dehinc Sermonem prolatum, per quem omnia facta ſunt.

Facile eſſet idem ex verbis *Tertulliani* adverſus *Praxeam* probare; ſed ex jam dictis omnes *Præſulis* ſtrophæ plane everruntur.

V. Fateor deniq; eundem in libro contra *Praxeam*, ab eodem jam *Montaniſta* ſcripto, quædam habere quæ ὁμοιοίυ ſententiæ favere, primo ſaltem intuitu, videantur; plura tamen ibidem profert, quæ cum eadem ex *diametro* pugnant. Ad tria quæ ex hoc libro antea produxi, hæc adjicio.

* *Cap. 4.* 1°. * "Monarchia, inquit, mea ſententia "non deſtruitur, adeo autem manet in ſuo ſta- "tu, licet *Trinitas* inferatur, ut etiam reſtitui ha- "beat Patri; ſiquidem *Apoſtolus* ſcribit de ultimo "fine, cum tradiderit regnum Deo & Patri. Vide- "mus igitur non obeſſe Monarchiæ Filium, etſi "hodie apud Filium eſt; quia in ſuo ſtatu apud "Filium eſt, & cum ſuo ſtatu reſtituetur Patri à "Filio. Ita eam nemo hoc nomine deſtruet, ſi Fi- "lium admittat, cui & traditam eam à Patre, & à "quo quandoq; reſtituendam Patri conſtat. Ejuſdem vero eſſentiæ Deum, ejuſdem numero eſſentiæ Deo, idem utriuſq; regnum tribuere, idq; ſubjiciendo ei omnia pro tempore, eundemq; eidem illud retribuere, non eſt ingenio *Septimij* dignum. Conſtatq; ex ijs quæ in locum hunc alibi annotavimus, Patres omnes *Poſt-Nicænos* huic *Septimij* ſententiæ pleno ore reclamaſſe. Cum ergo hic idem dicit, Filium de ſubſtantia Patris deductum; alio id ſenſu, quam *Præſul* autumat, intelligendum illud eſſe neceſſe eſt, quod etiam verba immediate ſequentia ſatis indicant.

2°. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat ſolus, aduſq; Filij generationem.* Quod Filij ab æterno generationem protinus excludit, adeoq; ejuſdem æternam Deitatem; utpote qui idcirco Deus de Deo fuit, quia de Deo genitus.

3°. *Pro-*

3°. * *Protulit*, inquit, *Deus ſermonem, quemadmodum etiam Paracletus docet, ſicut Radix fruticem, & fons fluvium, & ſol radium: igitur ſecundum horum exemplorum formam, profiteor me duos dicere, Deum & Sermonem ejus. Nam & radix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ; & fons & fluvius duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ; & ſol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes.* Ubi manifeſto profitetur Deum, & Sermonem ejus, duas res, duas ſpecies, duas formas eſſe; ideoq; unius tantum ſubſtantiæ eſſe, quoniam conjunctæ, indiviſæ, cohærentes. Una autem eademq; numero ſubſtantia, nec ſibi conjuncta, nec cohærens dici poteſt; multo minus duas res, duas ſpecies, duas formas, conſtituere. Et rurſus: † " Nam & radium ſolis ſeorſum " ſolem vocabo; ſolem autem nominans, cujus eſt " radius, non ſtatim & radium ſolem appellabo; " nam etſi ſoles duos non faciam, tamen & ſolem " & radium ejus tam *duas res, & duas ſpecies unius indiviſæ ſubſtantiæ numerabo, quam Deum & Sermonem ejus, quam Patrem & Filium.* Ubi unam tantum ſpecie ſubſtantiam intelligere par eſt; una enim numero ſubſtantia duas res non efficit.

* Cap. 8.

† Cap. 13.

Deniq; ‖ *ignorat*, inquit, *& ipſe diem & horam ultimam, ſoli Patri notam.* Et alibi *diem retributionis* vocat *diem ultimum, & occultum, & ſoli Patri notum.* De Reſur. carnis, c. 22. p. 338.

‖ Cap. 27.

Locis ex *Tertulliano* prius allatis hæc adjicit *Præſul Cl.* Sect. IV. cap. II. p. 451. " *Tertullianus* libro de Pudicitia, cap. 21, agnoſcit *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Quibus verbis omnes tres perſonas Divinitatis naturâ prorſus æquales eſſe *Tertullianum* ſignificare voluiſſe conſtat.

Reſpondeo; librum hunc contra Eccleſiam ſcriptum eſſe, & ſpeciatim contra R. *Pontificem*, ex capite primo conſtat. Hinc ad hunc locum *Rigaltius* hæc adnotat: *Hæc adjeciſſe videtur in opprobrium*

R. *Pontificis, quasi de Trinitate cum Praxea sentiret.* Hæc igitur à *Tertulliano* dicta sunt, non ut fidem orthodoxam stabiliret, sed ut R. Pontifici hæreseos opprobrium imputaret.

Pergit ad hunc modum *Præsul.* " Sic enim " ipse adversus *Hermogenem*, cap. 7. *Neq; enim,* " inquit, *proximi erimus opinionibus nationum, quæ,* " *si quando coguntur Deum confiteri, tamen & alios* " *infra illum volunt. Divinitas autem gradum non* " *habet, utpote unica.* (Hactenus *Præsul, Tertulliano* hæc adjiciente;) *quæ si & in materia erit, ut proinde innata, & infecta, & æterna aderit utrobiq;, quia minor se nusquam poterit esse.* Unde & idem in eodem libro, cap. 18. expresse docet, *Deum ab æterno habuisse Sophiam suam, sibi coexistentem, tanquam non sibi subditam, non statu diversam.* Ubi Sophiam, sive Filium Dei, *æqualem & parem esse Deo*, cujus est Sophia, aperte ex eo colligit, quod *non statu ab ipso diverso*, hoc est, ipsi ὁμοούσιος illa sit.

Respondeo; mirum esse *Præsulem* nos ad librum *Septimij* adversus *Hermogenem* remittere potuisse, ut inde Verbi Dei æternitatem & æqualitatem cum Patre ediscamus; in quo utrumq, verbis disertissimis & sæpius repetitis evertitur. *Nihil esse ingenitum, innatum, æternum, nisi solum Patrem; nihil Patri par, aut æquale* esse dicit, inculcat, ingeminat, & ex S. Scripturis passim probat; nec posse aliter fieri indicat, nisi *duos Deos* constituas, Deoq; loquenti fidem renuncias. Æternitatem Filio, ex sententia *Tertulliani*, non posse competere, sectione tertia abunde probavimus. His adde, quod æternum Patrem esse probat ex prærogativa nullius initij, cap. 20; *Habemus autem*, inquit, *illam initium agnoscere, quæ dicit, Dominus condidit me initium viarum suarum.* Cap. 18, ingenitum & innatum Patrem esse dicit; Natum vero esse Sermonem Dei ex his verbis probat; *Eructavit cor meum sermonem optimum.*

Nec

Nec minus clare deſtruit æqualitatem naturæ inter Patrem & Filium, hoc Deo Patri proprium conſtituendo, cap. 4. quod unicus ſit, nec parem habeat, nec æqualem. " Si Deus eſt, inquit; uni-
" cum eſſe neceſſe eſt, ut unius ſit; aut quid erit
" unicum & ſingulare, niſi cui nihil adæquabitur?
" quid principale, niſi quod ſuper omnia, niſi
" quod ante omnia, & ex quo omnia? Hæc Deus
" ſolus habendo eſt; & ſolus habendo, unus eſt. Si
" & alius habuerit, *tot jam erunt Dei, quot habue-*
" *rint quæ Dei ſunt.* Ita *Hermogenes duos Deos*
" infert: materiam parem Deo infert. Deum au-
" tem unum eſſe oportet, quia quod ſummum ſit,
" Deus eſt: Summum autem non erit, niſi quod
" unicum fuerit: unicum autem eſſe non poterit,
" cui aliquid adæquabitur. Adæquabitur autem
" Deo materia, cum æterna cenſetur ". Utq; mittam ea quæ cap. 5, & 6, 11°. & 17°. occurrunt; cap. 18°. ad quod nos remittit *Præſul*, Pater Filio Dei antiquior & fortior agnoſcitur. Et demum *ſuſtinebit*, inquit, *æquo animo Filius eam* (i. e. materiam) *præponi ſibi, quæ Patri adæquatur.*

Deniq; miſerè torquet hæc verba *Tertulliani*, quæ hoc tantum indicant, Sophiam à Deo conditam, quam materiam nuncupat, non eſſe ſimilem materiæ *Hermogenis*, utpotè non ſibi ſubditam, non ſtatu diverſam. Et capite 5. agnoſcit, naturâ diverſa eſſe poſſe, quibus ſtatûs eadem ratio ſit.

Sectio Quinta.

De Fide Cypriani.

AD *Cyprianum* pervenimus, ex cujus Scriptis hæc in fidei *Homoouſianæ* firmamentum collegit *Præſul Cl.*

I. 1°. " Quod Teſtimoniorum l. 2. c. 5, 6. loca " multa, in quibus ſummus Deus manifeſto de- " ſignatur, de Chriſto dici intelligit; Quibus ad- " das, quod ejuſdem libri cap. 9. ex profeſſo pro- " bare aggreditur, quod *homo & Deus Chriſtus ex* " *utroq; genere concretus, ut mediator eſſe inter nos* " *& Patrem poſſet.* Quæ verba, inquit *Præſul Cl.* " *manifeſto ſignificant Chriſtum, qua Deus, Deo Pa-* " *tri; qua homo, nobis pariter hominibus eſſe* ὁμο- " ϕυῆ *ſive* ὁμοούσιον.

Reſpondeo (1°.) Argumentari hic *Præſulem* à cap. (non 9°. ſed) 10°. ex *Titulo* in margine locato; Quis autem fidem nobis dabit, hos titulos ab ipſo *Cypriano* capitibus appoſitos fuiſſe? Suadet certe contrarium, quod ne unum, in integra hac ſectione, teſtimonium occurrit, quod huic Titulo reſpondeat; nulla ſiquidem in ea de Chriſto mediatore fit mentio. His adde, quod ſi Chriſtus, quà Deus, Deo Patri ὁμοούσιος eſſet; juxta *Euſebium* * ſibi ipſi mediator eſſet, & hoc officio functus eſſet, ut ſibi hominem conciliaret. Ubi enim eſt eſſentiæ unitas individua, ne fieri quidem poteſt, ut unius perſonæ ſit aliquis mediator, qui alterius non ſit. Deniq; ſi Chriſtus, quà Deus, eſt tantum Patri ὁμοούσιος, eo modo quà homo eſt nobis ὁμοϕυὴς & ὁμοούσιος, conſtat eundem non eſſe Deo Patri ὁμοούσιον: Certum etenim eſt, Chriſtum eandem nobiſcum naturam minime habuiſſe, ſed numero diverſam.

* *Contra Marcell. l. 1, p. 8.*

Reſpondeo 2°. ſectionem quintam in eo protinus impendi, ut probaret *Cyprianus* Chriſtum & *Angelum* & *Deum dici*; quo argumento Patres multi *Ante-Nicæni* contendebant, *Chriſtum cum Patre eundem numero Deum non eſſe.* Abſurdum quippe illis viſum eſt, Deum ſummum *Angelum* appellari. Sectione ſexta duo ſunt quæ perſpicue oſtendunt Chriſtum, juxta *Cyprianum*, eſſe alterum à Patre Deum: Eſt enim ibi Deus propter unctionem à

Patre

Patre acceptam, juxta hæc *Pſalmiſtæ* verba, *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exaltationis.* Ex hoc enim loco probat *Juſtinus*, Chriſtum eſſe alterum à Patre Deum.

3°. Eſt Deus eo modo quo alij Dij dicuntur, licet ſuperiori gradu; & quia *à Patre ſanctificatus eſt, & miſſus in mundum*, juxta hæc ibidem verba, *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernens*; & iterum illic, *ego dixi, Dij eſtis, & Filij Altiſſimi omnes.* " Quod ſi juſti qui " fuerint, & præceptis divinis obtemperaverint, " Dij dici poſſunt, quanto magis Chriſtus Dei Fi- " lius? (Deus Dei Filius *al.*) Sic ipſe in Evangelio κατὰ *Johannem: " Nonne ſcriptum eſt in lege, quo- " niam Ego dixi, Dij eſtis? Si illos dixit Deos ad " quos verbum Dei factum eſt, & non poteſt ſolvi " Scriptura; quem Pater ſanctificavit, & miſit in " mundum, vos dicitis, quoniam blaſphemas, quia " dixi, Filius Dei ſum?* Vide ex his verbis *Novatianum* colligentem, *Filium Patre minorem eſſe*, cap. 22.

2. Pergit *Præſul* ad hunc modum: " Illuſtris vero II.
" eſt locus in libro * de Idolorum vanitate, in quo * *Ed. Oxon. p.* 15.
" *Cyprianus* de ſermone & Filio Dei ſic loquitur:
" Hic eſt virtus Dei, hic ratio, hic ſapientia ejus,
" & gloria; hic in virginem illabitur, carnem Spi-
" ritu Sancto cooperante induitur, Deus cum ho-
" mine miſcetur; hic Deus noſter, hic Chriſtus
" eſt.

Reſpondeo; Chriſtum eſſe Chriſtianorum Deum, Patres fere omnes *Ante-Nicæni* libere, cum *Cypriano*, agnoſcunt; eundem vero eſſe Summum Deum, *Cyprianus* ipſe, poſt multos alios, ſatis aperte hic negat. Paragrapho enim præcedente ſic loquitur:
† " Unus igitur omnium Dominus eſt; neq; enim † *P.* 14.
" illa ſubſtantia poteſt habere conſortem, cum ſola
" omnem teneat poteſtatem. Deo, qui ſolus eſt,
" Deus vocabulum totum eſt; ergo unus eſt, &

" ubiq; totus diffusus est. Post quam descriptionem διαφορικὴν Dei Patris, sequuntur hæc verba de Filio Dei *à Patre misso*; Est autem missus, juxta
‖ *Ibid.* *p.* 15. Patres *Ante-Nicænos*, alius à mittente: immo ‖ hic, inquit, Christus est, *qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem: quod homo est, Christus esse voluit, ut & homo possit esse quod Christus est. Quod est Christus, erimus Christiani, si Christum fuerimus imitati.* Et libro de oratione Dominica:
* *P.* 143. * *Quanta est Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas, qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus? Et ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei Filij nuncupemur.* Ubi *Cyprianus*, constituendo Christum mediatorem qui nos perducat ad Patrem, satis ostendit, ex Veterum sententia, eum non esse eundem essentia individuali cum Patre Deum; alioquin, ut ab *Eusebio* didicimus, sibi ipsi Mediator esset. 2°. Cum dicit, *quod Homo est, Christus esse voluit, ut & homo esse possit quod Christus est*, utitur Argumento Patribus *Ante-Nicænis* familiari, quo Christum Deum esse debuisse dicunt, ut homines essent Dij, & Filij Dei.
† *L.* 3. *c.* 21. *p.* 249. Ita † *Irenæus*; " Propter hoc, Verbum Dei, homo: " & qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, " commixtus Verbo Dei, ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον χωρήσας, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν, υἱὸς γένηται θεοῦ, *ut Homo, Verbum capiens, & adoptionem recipiens, Filius Dei fiat.* Et rursus:
‖ *L.* 4. *c.* 59. ‖ *Quomodo Ebionitæ possunt salvari, nisi Deus est qui salutem illorum super terram operatus est;* ἢ πῶς ἄνθρωπος χωρήσει εἰς θεὸν, εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον, *aut quomodo homo transiet in Deum, si non Deus transisset in hominem?*

III. 3°. Argumentum ex eo ducit *Præsul* Cl. quod
* *P.* 148. Ep. 63. ad *Cæcilianum*, * *Cyprianus* Christum vocat *Dominum & Deum nostrum.*

Respon-

Reſpondeo; idem facere non tantum quoſdam ex Patribus *Ante-Nicænis*, qui Chriſtum alium, diverſum, ſecundum à Deo Patre Deum, & Dominum conſtituunt; ſed idem *Arianis* & *Semi-Arianis* ſæpius in confeſſo eſt. His adde, quod in eadem Epiſtola, idem Jeſus Chriſtus, † *Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri ſeipſum primus obtulit.* Sacerdos autem Dei Patris, juxta *Euſebium*, non poteſt eſſe idem eſſentia cum Deo Patre: ſic enim ſibi ipſi ſeipſum ſacrificium obtuliſſet. Pergit *Præſul.* † *P.* 155.

IV. 4°. In Epiſtola ad *Jubaianum* de Hæreticis baptizandis, probat Hæreticorum baptiſma invalidum eſſe hoc Argumento: " Si baptizari quis apud Hæ-" reticos potuit, utiq; & remiſſam peccatorum con-" ſequi potuit. Si peccatorum remiſſam conſecu-" tus eſt, & ſanctificatus eſt & Templum Dei " factus eſt. Quæro, cujus Dei? ſi Creatoris; non " potuit, qui in eum non credidit. Si Chriſti; nec " hujus fieri poteſt Templum, qui negat Deum " Chriſtum. Si Spiritus Sancti; cum *tres unum* " *ſunt*, quomodo Spiritus Sanctus placatus ei eſſe " poteſt, qui aut Patris aut Filij inimicus eſt? *Ubi vides Spiritum Sanctum perinde ac Patrem, & Filium, diſerte Deum dici.* Ita *Præſul.*

Reſpondeo; his non obſtantibus, *Cyprianus*, in eadem Epiſtola, Patrem ſolum verum Deum eſſe pronuntiat; & Patris & Filij cognitionem, eſſe duorum cognitionem, quorum unus mittit, alius miſſus eſt; unus ante cognoſcendus eſt, alter poſt ipſum. En verba clariſſima: * " Duorum autem eſſe cog-" nitionem quæ ſalvet, idem ipſe manifeſtat, di-" cens, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum* " *& verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* " Cum ergo ex ipſius Chriſti prædicatione, Pater " ante cognoſcendus eſt qui miſit, tunc deinde " Chriſtus qui miſſus eſt; non potuit eſſe ſpes ſa-" lutis niſi duobus cognitis". His adde, quod pa- * *P.* 205.

gina

gina ſequenti Chriſtum à Deo Patre verbis eſſentiæ identitatem clare tollentibus diſtinguit; Qui enim Patrem blaſphemat, in eum blaſphemat " quem Chriſtus Dominum & Deum ſuum dix- " erit; à quo Patre ipſam poteſtatem quà baptiza- " mur, & Sanctificationem Chriſtus acceperit; " quem majorem dixerit, à quo clarificari petierit, " cujus voluntatem uſq; ad obſequium bibendi *calicis, & ſubeundæ mortis impleverit.* Summus autem Deus majorem agnoſcere non poteſt; à nemine poteſtatem, ſanctificationem, clarificationem accipit, nec alterius voluntati obſequium præſtat. Ita Veteres.

V. Ex eo Argumentum ducit *Præſul* Cl. quod idem *Cyprianus* in eadem Epiſtola probat, baptiſmum in in ſolo Jeſu Chriſti nomine collatum nihil efficere; eo quod ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat *in plena & adunata Trinitate.* " Ubi per plenam & " adunatam Trinitatem manifeſtum eſt, inquit " *Præſul*, tres perſonas, Patrem, Filium, & Spi- " ritum Sanctum, tanquam omnes in una divini- " tate ſubſiſtentes, deſignari.

Reſpondeo; Baptiſmum *in plena & adunata Trinitate* conceptum in his verbis, non aliud indicare quam Baptiſma, non Chriſti ſolius, ſed integræ Trinitatis mentione facta, perficiendum eſſe. Obtinuit nempe ante *Cypriani* tempora objectio ex praxi *Apoſtolica* deſumpta, Baptiſmum in ſolius Chriſti, aut *Jeſu* nomine exhibitum, eſſe validum, partim quod Actus *Apoſtolorum* Baptiſmum eo ſolo nomine præſtitum fuiſſe teſtantur, partim quod D. *Paulus Corinthios* in nomine ſolius Chriſti tinctos fuiſſe indicat, idemq; de alijs Chriſtianis innuit ad Rom. 6. 3. & Gal. 3. 27. Huic objectioni reſpondet *Irenæus*; " in Chriſti nomine intelligen- " dum eſſe integram Trinitatem, Patrem ſcilicet " qui ungit, Chriſtum qui unctus eſt, & Spiritum " Sanctum quo unctus eſt. Hæc autem ſolutio, quam

quam etiam *Baſilius* & *Ambroſius* amplexi ſunt, *Cypriano* non placuit, utpote quæ *Stephani* ſententiæ magis faveret quam ſuæ. Poſtulat ergo ut Baptiſmus exhiberetur verbis conceptis Chriſti, jubentis gentes baptizari in nominibus integræ Trinitatis, plene & adunate recitatis, non autem involute & latenter ſub *Chriſti* ſolius nomine comprehenſis.

Iis quæ obiter reſponſione ad *Præſulis* Cl. Argumenta adduximus, hoc unum addo, quod quater ad minimum Patrem *ſolum & verum Deum* pronuntiat. Nempe * libro de oratione Dominica, ubi hæc verba legimus; " Dei ſermo, Dominus noſter Je- " ſus Chriſtus---præceptorum ſuorum fecit grande " compendium, ut in diſciplina cœleſti diſcentium " memoria non laboraret; ſed quod eſſet *ſimplici* " *fidei neceſſarium*, velociter diſceret, dicens, *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et libro † *de exhortatione Martyrij*; *Dominus in Evangelio commemorationem facit primi & ſecundi præcepti, dicens, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*; & *diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo*, &c. Et iterum; *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Et deniq; * Epiſtola ad *Demetrianum*; *Deum*, inquit, *vel ſero cognoſcite, quia Chriſtus adveniens hoc admonet & docet, dicens, Hæc autem eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* His adde locum prius laudatum ex Epiſtola ad *Jubaianum*, p. 205.

VI.

* P. 151.

† P. 172.

* P. 195.

Quod demum æternam Chriſti generationem adſtruere conatur *Præſul Cl.* ex eo, quod ‖ *Cyprianus* inter Teſtimoniorum congeriem hoc unum exhibet; *Ego ſum Alpha & Omega, initium & finis*, Apoc. 21. 6.

VII.

‖ *Teſtim. l. 2. N. 6.*

Reſpondeo 1°. nullum ex locis in hac ſectione allatis certum de *Cypriani* ſententia judicium fieri poſſe;

poſſe; alioquin ex locis hiſce facile eſſet probare, *Chriſtum* habere alium ſuper ſe Deum, à quo oleo exaltationis ſit unctus, ex verbis è *Pſalmo* 45. citatis; atq; ex eo certe probari Chriſtum eſſe Deum, " *quod Deus ſtetit in Synagogâ Deorum, in medio Deos diſcernens; & adjecit, Ego dixi, Dij eſtis.*

2°. Ultra viginti loca hic adducit *Cyprianus*, quorum ne unum, hoc ſepoſito, Chriſti æternam generationem, vel in ſpeciem probat; quod certum indicium eſt, *Cyprianum* hunc locum ad æternam Chriſti generationem probandam neutiquam adduxiſſe; ſed, prout Titulus hic docet, ut *Deum eſſe Chriſtum* oſtenderet. Deniq; ſectione hujus libri prima, *eodem ex loco* contendit Chriſtum eſſe primogenitum, & ipſam Dei ſapientiam, per quem omnia fecit: hoc autem probat non tantum ex his *Apocalypſeos* verbis, ſed ex Proverbiorum cap. 8. com. 22. *Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua.* Unde *Cypriani* Magiſter ſic infert; *Habemus illam initium agnoſcere, quæ dicit, Dominus condidit me initium viarum ſuarum.* Hoc inſuper probat ex *Eccluſ.* c. 24. ubi Sapientia inducit Deum ipſam κτίσαντα, utpote qui *præ ſæculo* ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με *ab initio creavit me*; An vero hinc colligere liceat ſapientiam, ex *Cypriani* ſententia, inter Creaturas recenſendam eſſe?

Sectio Sexta.

De Fide Novatiani.

I. AD *Novatianum* tandem pervenimus, cujus de *Trinitate* Volumen *Hæreſeos librum* appellat *Hieronymus. Reprehenſibiliter, quantum ad Veritatem Fidei noſtræ pertinet, eum ſcriptum fatetur,*

in

in Apologia pro *Origene*, * *Ruffinus*. Eſſe autem Fidei *Nicænæ*, in doctrina ſaltem de Dei Filio, conſonam exiſtimat *Præſul Cl.* & Chriſti divinitatem his verbis adſtruere. " Si homo tantummodo " Chriſtus, quomodo dicit, *Ex Deo prodij & " veni*, cum conſtet hominem à Deo factum eſſe, " non ex Deo proceſſiſſe? Ex Deo autem homo " quomodo non proceſſit, ſic Dei Verbum proceſſit; " Deus ergo proceſſit ex Deo, dum qui proceſſit " Deus Sermo eſt, qui proceſſit ex Deo. * F. 79.

Reſpondeo; probare hæc Chriſtum Deum eſſe, quod ipſi *Ariani* non negant; eſſe vero ipſum eundem numero cum Patre Deum, ob eandem numericam eſſentiam eidem communicatam, non probant. Chriſtus etenim ipſe ſe dicit ex *Patre prodiiſſe, & in mundum veniſſe.* Et Joh. 16. 28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς *proceſſi à Patre.* Nec tamen ex verbis his recte colligitur eum Deum fuiſſe, multo minus eundem numero cum Patre Deum. Deus enim haud dubio fuit, longe antequam in mundum à cœlo veniſſet. *Juſtinus* ſæpius agnoſcit Chriſtum eſſe à Deo genitum, adeoq; Deum; & tamen alterum à Genitore Deum eundem pronuntiat. Ob eandem rationem *Euſebius* ejus Deitatem agnoſcit, & tamen Patrem & Filium δύο πράγματα eſſe dicit, ijſq; duas naturas & eſſentias tribuit; idemq; ab alijs Patribus *Ante-Nicænis* factum eſſe ſupra vidimus; atq; hoc ſenſu *Novatianum* intelligendum eſſe ſuadent ea quæ capite tertio præmittit, tanquam clavem omnium quæ poſtea dicenda eſſent: Nempe † " ipſum (Patrem) eſſe Deum de quo " *Apoſtolus* loquitur his verbis, *Regi immortali, in-" viſibili, ſoli Deo, honor, & gloria:* Et iterum, " *Quoniam ex ipſo, & per ipſum omnia*: nam & " imperio ejus omnia, ut ex ipſo ſint, & verbo ejus " digeſta, ut per ipſum ſint, quem ſolum merito " bonum pronuntiat Dominus.---Ideo & unus pro-" nuntiatus eſt, dum *parem non habet.* Deus " enim † *Cap.* 3, 4.

" enim quicquid esse potest, quod Deus est, sum-
" mum sit necesse est; summum autem quicquid
" est, ita demum summum esse oportet, dum *ex-*
" *tra comparem* est, & ideo solum & unum sit
" necesse est, cui conferri nihil potest, dum *parem*
" *non habet*. Et capite nono; " Regula Veritatis
" docet nos credere, post Patrem etiam in Filium
" Dei, Dominum nostrum Jesum, Dominum De-
" um nostrum, sed Dei Filium, *hujus Dei qui &*
" *unus & solus est*, conditor scilicet rerum omni-
" um. Et capite 17°. merito in forma pronuntia-
" tus est Dei, dum & ipse super omnia, & omnis
" creaturæ divinam obtinens potestatem, & Deus
" est exemplo Patris; hoc ipsum tamen ex Patre
" proprio consecutus, ut omnium & Deus esset, &
" Dominus esset, & Deus ad formam Dei Patris
" ex ipso genitus, atq; prolatus. Hic ergo quam-
" vis esset in forma Dei, non est rapinam arbitra-
" tus æqualem se Deo esse. Quamvis enim se ex
" Deo Patre Deum esse meminisset, nunquam se
" Deo Patri aut comparavit aut contulit, memor
" se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est, ha-
" bere se, quia Pater dedisset. Inde deniq; & ante
" carnis assumptionem, sed & post assumptionem
" corporis, post ipsam præterea resurrectionem,
" omnem Patri in omnibus obedientiam præstitit,
" pariter & præstat. Ex quo probatur nunquam
" arbitratum illum esse rapinam quandam Divini-
" tatem, ut *æquaret se Deo Patri*; quin immo
" contra, omni ipsius imperio & voluntati obedi-
" ens, atq; subjectus; ut formam servi susciperet,
" contentus fuit. Et capite 24. cum verba hæc
Christi citasset, *hæc est vita æterna, ut sciant te*
unum & verum Deum, & quem misisti Jesum
Christum: " Si, inquit, noluisset se etiam Deum
" intelligi, cur addidit, *& quem misisti Jesum*
" *Christum*? Est ergo credendum secundum (Regu-
" lam) præscriptam, in Dominum *unum verum*

" *Deum, & in eum quem misit Jesum Christum con-*
" *sequenter*; qui se nequaquam Patri junxisset, nisi se
" Deum quoq; intelligi vellet. *Est ergo Christus Deus*, sed non Deus summus: *Is enim unus, & solus est, qui non habet parem, nec comparem, & cui conferri nihil potest, dum parem non habet. Ex ipso est*, sed ideo ejusdem imperio subjicitur; *nam & imperio ejus omnia, ut ex ipso sint. Est Deus*, sed post Patrem, qui & *unus*, & *solus*, & conditor rerum omnium est. *Est Deus ex Deo Patre genitus & prolatus*, nec tamen Deo Patri æqualis; *nunquam enim se Deo Patri aut comparavit, aut contulit.* Sed etiam *ante carnis assumptionem, Patri in omnibus obedientiam præstitit. Ex quo probatur nunquam arbitratum illum esse rapinam quandam Divinitatem, ut exæquaret se Deo Patri: Quin immo contra, omni ipsius imperio & voluntati obediens fuit, atq; subjectus.* Est deniq; *Deus*, ita tamen ut ex Christi regula credendum sit Patrem *esse unum & verum Deum*; Christum vero esse Deum ab ipso missum; *missus autem non fuit Pater, ne Pater alteri Deo* (sit) *subditus, dum mittitur*, cap. 22.

Esto igitur capite undecimo *Novatianum* probasse, Christum proinde Deo Patri ὁμοούσιον esse quà ex Deo est, atq; ὁμοούσιος est nobis hominibus quà ex hominibus est: certum tamen est Christum eandem numero cum alijs hominibus naturam minime habuisse; non ergo ex his sequitur, eum eandem numero divinam essentiam cum Deo Patre habuisse.

Citat deniq; *Præsul Cl.* ex capite 23. hæc verba; II.
" Si homo tantummodo Christus, quomodo ait,
" *Ego & Pater unum sumus*? quomodo enim Ego
" & Pater unum sumus, si non & Deus est & Fi-
" lius; qui idcirco Deus potest dici, dum ex ipso
" est, & dum Filius ejus est, & dum ex ipso na-
" scitur, dum ex ipso processisse reperitur. Audi jam ex ipso *Novatiano*, quomodo Filius Dei fuit.

Nempe

nempe capite 22°. hunc Filium Dei fuiſſe dicit, " *quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum.* " Dum ergo, inquit, à Patre Sanctificationem " accepit, Patre minor eſt. Minor autem Patre " eſt conſequenter, ſed Filius. Pater enim ſi fuiſ- " ſet, Sanctificationem dediſſet, non accepiſſet. Et " nunc autem profitendo Sanctificationem ſe acce- " piſſe à Patre; hoc ipſo quo Patre ſe minorem, " accipiendo ab ipſo Sanctificationem, probat; Fili- " um eſſe, non Patrem, monſtravit. Porro capite præcedente; " Scriptura, inquit, divina ubiq; " oſtendit illum ex Patre natum, qui obedierit " ſemper Patri, & obediat; ſemper habentem re- " rum omnium poteſtatem, ſed quà traditam, ſed " quà conceſſam, ſed quà à Patre proprio ſuo in- " dultam. Quid enim tam evidens poteſt eſſe, " hunc non Patrem eſſe, ſed Filium, quam quod " obediens Patri Deo proponitur? Et capite ſequenti ita Deus eſſe dicitur, ut, eo non obſtante, Patrem unum verum Deum eſſe credendum ſit. Hæc igitur verba, *quomodo Ego & Pater unum ſumus, ſi non & Deus eſt & Filius*, non probant eum unius numericæ eſſentiæ cum Patre eſſe. Id enim negat *Novatianus* his verbis, in quibus objectioni *Sabellianorum* ex hoc loco deſumptæ reſponſum exhibet.

* *Ibid.* * " Unum enim neutraliter poſitum, ſocietatis con- " cordiam, non unitatem perſonæ ſonat. Unum " enim, non Unus dicitur; quoniam nec *ad nume-* " *rum* refertur, ſed ad ſocietatem alterius expri-

† *Cap.* 22. " mitur. Deniq; adjicit, *ſumus*, non † *ſum*; ut " oſtenderet per hoc quod dixit *ſumus*, & *Pater*, " duas perſonas. *Unum* autem quod ait, ad con- " cordiam, & eandem ſententiam, & ad ipſam " charitatis ſocietatem pertinet; ut merito unum " ſit Pater & Filius, per concordiam, per amorem, " & per dilectionem. Et quoniam ex Patre eſt, " quicquid illud eſt, Filius eſt. Deniq; novit " hanc concordiæ unitatem & *Apoſtolus*, cum per-

" ſonarum

" ſonarum diſtinctione tamen. Nam cum ad *Co-*
" *rinthios* ſcriberet; *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo*
" *rigavit, ſed Deus incrementum dedit: qui autem*
" *plantat, & qui rigat, unum ſunt.* Quis autem
" non intelligat alterum *Paulum*, alterum *Apollo*
" eſſe, non eundem atq; ipſum *Apollo* pariter &
" *Paulum*? Deniq; & diverſa unius cujuſq; officia
" ſunt prolata. Alter enim qui plantat, & alter qui
" rigat. Hos tamen duos, non quod unus ſit, ſed
" quod unum ſint, propoſuit *Apoſtolus Paulus*, ut
" alter quidem ſit & *Apollos*, alter vero *Paulus*;
" quantum ad perſonarum diſtinctionem pertinet,
" unum ambo ſint. Nam quando duorum una
" ſententia eſt, veritas una eſt, fides una eſt, una
" atq; eadem religio eſt, unus etiam Dei timor;
" unum ſunt, etiamſi duo ſunt; ipſum ſunt, dum
" ipſum ſapiunt. Etenim quos perſonæ ratio invi-
" cem dividit, eoſdem rurſus invicem Religionis
" ratio conducit. Et quamvis idem atq; ipſe non
" ſunt; dum idem ſapiunt, ipſum ſunt; & quum
" duo ſint, unum ſunt, habentes in fide Societatem,
" etiamſi gerant in perſonis diverſitatem. Ubi no-
tandum 1°. *Pamelij* monitum; nempe " in hoc lo-
" co non ſatis accurate ſcribere *Novatianum* ait,
" quod nullam eſſentiæ Patris & Filij communio-
" nem adferat, ſed exemplum ab *Apoſtolo* unitati
" eſſentiæ veluti contrarium; in quo certe hallucí-
" natum fuiſſe Auctorem non vereor dicere, *quum*
" *poſtea Eccleſia in diverſis Concilijs diverſum defi-*
" *niverit*. Et tamen conſtat Patres *Ante-Nicænos*
haud paucos in hoc cum *Novatiano* ſenſu conſpi-
raſſe; nimirum *Juſtinum*, qui Filium *alterum nu-*
mero à Patre Deum conſtituit, *unum autem conſilio*;
Origenem, qui Patrem & Filium eſſe dicit δύο πρά-
γματα, ἓν δὲ ὁμονοίᾳ, καὶ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταυτότητι βουλήματος, *res duas ſubſtantia, unum vero con-*
ſenſu, & concordia mentis, & voluntatis identitate,

quæ [f] *una voluntas causa erat Filio Dei dicendi, Ego & Pater unum sumus*: *Lactantium* dicentem Patrem & Filium unum dici Deum, quia *unanimes incolunt mundum*: * *Eusebium* deniq; pronuntiantem, Patrem & Filium unum esse οὐ κατ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὴν κοινωνίαν τῆς δόξης, *non quoad substantiam, sed juxta communionem gloriæ*; quam etiam discipulis ejus impertiet, τῆς αὐτῆς ἑνώσεως *ejusdem unitatis eos participes faciens*, juxta hæc Concilij *Antiocheni* placita, Patrem nempe, & Filium, & Spiritum, εἶ τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἓν, *esse substantia tria, consensu autem unum.* Non mirum est ergo *Novatianum* ex hac societatis, concordiæ, amoris, & unius voluntatis unione, Filium Dei unum cum Patre contendisse, cum Patres hi omnes qui Filium unum cum Patre eodem sensu proposuissent, Christum nihilominus alium Deum esse continuò agnoscebant. Porro hinc constat quo sensu *Novatianus* Patrem & Filium *duas personas* esse dicit, nempe non eo sensu quo personalitas significat tantum distinctionem personarum in eadem numero essentia conjunctarum, sed eo sensu quo *Apollos* & *Paulus* personis distinguuntur.

* *Dogm. Eccl. l. 3. c. 19.*

III. Deniq; omnem obstinationem expugnant, & consensum non tam postulant, quam extorquent, ea quæ in capite 30°. & 31°. continentur; ubi ex professo id agit, ut conciliet loca illa multiplicia, in quibus Deus unus & solus nuncupatur, cum ijs in quibus Christus Deus pariter appellatur, idq; ita *ut nemo illinc id Christianis merito imputaret, quod duos Deos agnoscerent.* Rem autem ad hunc modum explicat. " Est ergo Deus Pater, omnium conditor & " Creator, solus originem nescius, invisibilis, " immensus, immortalis, *æternus*, unus Deus, *cu-*

---

[f] Ὅπερ ἦν θέλημα αἴτιον τῆς λέγειν τὸν υἱὸν, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. Orig. Comm. in Joh. p. 227.

" *jus*

" *jus magnitudini*, neq; *majeſtati*, neq; *virtuti quic-*
" *quam non dixerim præferri, ſed nec comparari po-*
" *teſt*; ex quo, quando ipſe voluit, Sermo Filius
" natus eſt. Deus itaq; procedens ex Deo, ſecun-
" dam perſonam efficiens, ſed non eripiens illud
" Patri quod unus eſt Deus. Si enim natus non
" fuiſſet, innatus comparatus cum eo qui eſſet in-
" natus, *æquatione* in utroq; oſtenſa, duos faceret
" innatos, & ideo duos faceret Deos: Si non geni-
" tus eſſet, collatus cum eo qui genitus non eſſet,
" & *æquales* inventi, duos Deos merito reddidiſſent
" non geniti, atq; ideo duos Chriſtus reddidiſſet
" Deos: Si ſine origine eſſet, ut Pater inventus, &
" ipſe principium omnium, ut Pater; duo faciens
" principia, duos nobis oſtendiſſet conſequenter &
" Deos: Si inviſibilis fuiſſet, cum inviſibili colla-
" tus, par expreſſus, duos inviſibiles oſtendiſſet,
" & ideo duos probaſſet & Deos: Si incomprehen-
" ſibilis, ſi & cætera quæcunq; ſunt Patris, merito
" dicimus duorum Deorum quam ipſi confingunt,
" controverſiam ſuſcitaſſet. Nunc autem, quicquid
" eſt, non ex ſe eſt, quia nec innatus, ſed ex Patre
" eſt. Patri ſuo originem ſuam debens, diſcordiam
" Divinitatis de numero duorum Deorum facere
" non potuit, qui ex illo, *qui eſt unus Deus*, origi-
" nem naſcendo contraxit; quo genere dum & uni-
" genitus & primogenitus eſt, ex illo eſt qui ori-
" genem non habet, unus eſt omnium rerum &
" principium & caput. Idcirco unum Deum aſſe-
" ruit: Filius autem nihil ex arbitrio ſuo gerit, nec
" ex conſilio ſuo facit, nec à ſe venit; ſed imperijs
" paternis omnibus, & præceptis obedit, ut quam-
" vis probet illum Nativitas Filium, tamen mori-
" gera obedientia aſſerat ipſum paternæ voluntatis,
" ex quo eſt, miniſtrum. Ita dum ſe Patri in om-
" nibus obtemperantem reddit, quamvis ſit & Deus,
" unum tamen Deum Patrem (eſſe) de obedientia
" ſua oſtendit, ex quo & originem traxit. Eſt

" ergo Deus, ſed in hoc ipſum genitus, ut eſſet
" Deus; eſt & Dominus, ſed in hoc ipſum ex Pa-
" tre, ut eſſet Dominus:--cujus ſic Divinitas tradi-
" tur, ut non aut diſſonantia, aut inæqualitate
" (l. *æqualitate*, quod ſenſus poſtulat,) Divinitatis
" duos Deos reddidiſſe videatur. Subjectis enim ei
" quaſi Filio omnibus rebus à Patre, dum ipſe
" cum his quæ illi ſubjecta ſunt, Patri ſuo ſubjici-
" tur, Patris quidem ſui Filius probatur; cætero-
" rum autem & Dominus & Deus eſſe repetitur;
" Ex quo dum huic, qui eſt Deus, omnia ſubjecta
" traduntur, & cuncta ſibi ſubjecta Filius accepta
" refert Patri, totam divinitatis auctoritatem rurſus
" Patri remittit: Unus Deus oſtenditur verus, &
" æternus Pater. Hæc autem ſua luce ita ſplendent,
& integram hanc controverſiam tam plane dirimunt,
ut aliquid his ultra adjicere, eſſet ſoli lucem fœne-
rari. Poſt hæc quæ tam perſpicue Patrem Deum
ſolum, unum nuncupant, (cap. 3.) cui nihil conferri
poteſt, dum parem nec habeat, nec comparem;
Filiumq; Deum talem prædicant, qui nunquam
Patri ſe comparavit aut contulit, nec unquam *arbi-*
tratus eſt rapinam quandam Divinitatem, ut æqua-
* Cap. 24. *ret ſe Patri*; & deniq; * quæ docent hunc Deum
Filium idcirco duos Deos non introduxiſſe, quia
nec par, nec æqualis inventus eſt illi Patri, cujus
magnitudini, majeſtati, poteſtati nihil comparari
poteſt: Quis expectaſſet *Præſulem* dicentem,
† §. 4. c. 2. " † Ad ipſam Divinam naturam quod attinet,
p. 452. " unum eſſe Patrem & Filium *Novatianus* diſerte
" docet. Quippe cap. 23. illa Domini noſtri ver-
" ba ad Judæos explicans, *Ego & Pater unum ſu-*
" *mus*, ſic ſcribit: ita quod ad crimen blaſphemiæ
" pertinet, Filium ſe, non Patrem dicit; quod ve-
" ro ad Divinitatem ſpectat ipſius, *Ego & Pater*
" *unum ſumus* dicendo, Filium ſe eſſe & Deum
" probavit: Deus autem ſic, ut Filius ſit, non Pa-
" ter." Hinc enim multum abeſt, ut Divinitatem
veram

veram paternæ æqualem Filio *Novatianus* adſcripſerit; præſertim cum capite immediate præcedenti *Novatianus* agnoſcit, " Dominum diſtinctionem " poſuiſſe in ratione reddenda, quomodo ſe Deum " dixiſſet: Dum (enim) accipit ſanctificationem à " Patre, minor Patre eſt: minor autem Patre con- " ſequenter eſt, ſed Filius.----Miſſum præterea ſe " eſſe dicit,---miſſus autem non fuit Pater, ne Pater " alteri Deo ſubditus, dum mittitur, probaretur. Hæc ergo, ex ſententia *Novatiani*, eſt diſtinctio quam Dominus noſter hoc in loco poſuit inter ſe, & Deum Patrem; nempe quod Filius ſit Deus Patre minor, & alteri Deo ſubditus. *Vide quæ ſupra diximus*, §. 1, & 2.

Obſervandum eſt deniq;, Editorem hujus libri notaſſe eum hæreſeos librum ab *Hieronymo* vocatum, eo quod capite 7°. aſſeruiſſet, quod *omnis Spiritus creatura eſt:* quod capite vigeſimo quarto vocetur Paracletus *minor Chriſto*, nempe his verbis: " Si accepit Paracletus à Chriſto quæ nun- " tiet, major ergo jam *Paracleto* Chriſtus eſt; " quoniam nec *Paracletus* à Chriſto acciperet, niſi " minor Chriſto eſſet: minor autem Chriſto *Para-* " *cletus*, Deum eſſe Chriſtum hoc ipſo probat; à " quo accepit quæ nuntiat, ut teſtimonium Chriſti " Divinitatis grande ſit, dum minor Chriſto Para- " cletus repertus. His addit, " quod capite 29°. " ubi de Spiritu Sancto agit, eundem neutiquam " Deum aut nuncupet, aut probet, ſicut & Pa- " trem & Filium jam antea late Deum compro- " baverat. Quod deniq; capite 30. ubi deducit " unum eſſe Deum Patrem & Filium, nullam Spi- " ritus Sancti facit mentionem; quo factum ut & à " B. *Hieronymo* Hæreſeos liber appelletur; & à *Ruf-* " *fino* ſcribatur, πνευματομάχοι *Macedonianæ* partis " Hæreticos, hunc librum B. *Cypriano* adſcripſiſſe, " ut perfidiæ ſuæ fidem tanti viri auctoritate acqui- " rerent. His tamen non obſtantibus, *Præſul Cl.* IV.

fidem *Novatiani* etiam hac in parte ſanam eſſe contendit, quia capite 29°. divinam æternitatem ei tribuit his verbis; " Quod id agens in nobis, quod " ſanctos nos efficit, ad æternitatem, & reſurrectionem " immortalitatis corpora noſtra perducat, dum illa " ad ſe adſuefacit cum cœleſti virtute miſceri, & " cum Spiritus Sancti divina æternitate ſociari. Ubi eidem tribuere videtur non æternitatem à parte ante, ſed à parte poſt; eam ſcilicet quam habituri ſunt cum eo ſancti ad æternitatem perducti.

V. *Novatianum* de æterna Filij Dei generatione recte ſenſiſſe, hoc uno Argumento contendit *Præſul Cl.* quod dicit * Filium ſemper cum Patre fuiſſe, ne Pater non ſemper ſit Pater. Hæc tamen in eo capite ſunt dicta, in quo multa occurrunt quæ pro contraria ſententia manifeſto militant. Eſt enim, inquit, Deus Pater *ſolus originem neſciens*; unde ſequi videtur Filium nec æternum eſſe, nec originem neſcientem. 2°. Hunc Filium dicit, *quando voluit Pater*, natum eſſe, *innatum minime fuiſſe*; unde pronum eſt colligere, fuiſſe quando ex innato naſci cœpit. 3°. Contendit Filio Patrem præcedere, *quoniam antecedat neceſſe eſt illum qui habet originem, is qui originem neſcit*; immo Patre Filium ex eo minorem conſtituit, dum ex eo Patre, qui ſolus originem non habet, naſcitur. Hæc crucem poſteris fixiſſe ex eo conſtat, quod, fatente *Pamelio*, tria his reſtrictiva addidit *Gagnæus*, nempe *quadam ratione, quodammodo, aliquo pacto*, ne *Arianis Novatianus* favere videretur.

* *Cap.* 31.

Ad Argumentum *Præſulis* reſpondet idem *Novatianus*, ſemper in Patre Filium abs eo dici, quia *cum Patre fuit ante omne tempus*. Sic enim ejus verba ſe habent; " Hic ergo cum ſit genitus à Pa- " tre, ſemper eſt in Patre; ſemper autem ſic dico, " ut non innatum, ſed natum probem; ſed *qui* " *ante omne tempus eſt, ſemper in Patre fuiſſe di-* " *cendus eſt*. Semper deniq; non abſolute, ſed

poſtmo-

poſtmodum; quod hæc verba indicant, *cum Patre poſtmodum fuit, quia ex Patre proceſſit.*

SECTIO SEPTIMA.

De Collectaneis, quæ ex jam dictis conſequuntur.

EX ijs quæ in hoc opere diſputata ſunt, de *Synodi Nicænæ* placitis judicium ita ferendum eſſe exiſtimo; nempe recta & fidei Eccleſiæ conſona Concilium illud in eo docuiſſe, quod *Arij* ſententiam, qua Chriſtum ἐξ οὐκ ὄντων proceſſiſſe & mutabilem fuiſſe aſſeruit, damnaſſent, tanquam à fide Eccleſiæ eatenus alienam, quod Patrum *Ante-Nicænorum* nemo hoc antea aſſeruiſſet, ſi *Tertullianum* & *Pſeudo Clementem* exceperis; quod autem Filium Dei Patri ὁμοούσιον, & unius cum eo ſubſtantiæ eſſe ſtatuebant, id ſi eo, qui jam obtinet, ſenſu, intellexiſſent, à fide Catholica eoſdem deviaſſe non ſine ratione ſuſpicor. Aliud enim ſenſiſſe *Juſtinum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Pierium, Theognoſtum, Gregorium Thaumaturgum, Novatianum, Lactantium, Euſebium Cæſarienſem*, ex jam dictis liquet. I.

His adde, quod cum primum lis hæc in Eccleſia *Alexandrina* mota eſſet, ipſe † *Alexander* dubius inter utramq; ſententiam hæſit, nunc quidem ὁμοουσίῳ patronis, mox autem *Ario* contrarium ſuadenti, laudem tribuens. Quinimmo in ejuſdem * Epiſtola ad *Alexandrum Conſtantinopoleos Epiſcopum*, occurrunt multa quæ *Alexandrum* hunc, in hac re rudem plane, fideq; non ſanum fuiſſe, indicant. Nam (1°.) aſſerit Chriſtum ipſum oſtendere voluiſſe, *Patrem & Filium fuiſſe* δύο πράγματα ἀλλήλων II.

† *Sozomen. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 15.*

* *Apud Theodoret. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 3.*

ἀχώριστα *duas res à se invicem inseparabiles.* 2°. Quod Dominus dixit, *Ego & Pater unum sumus, nec Patrem se prædicans,* οὐδὲ τὰς ὑποστάσεις δύο φύσεις μίαν εἶναι, *nec duas subsistentia naturas unam esse monstrans; sed quod Patris effigiem Filius exacte servare soleat, similitudinem ejus per omnia à natura exprimens.* Similis autem non est eadem natura sibi ipsi, sed altera alteri. 3°. Quod Unigeniti naturam appellat μεσιτεύουσαν φύσιν *naturam inter Patrem & Creaturas mediantem.*

2°. Manifestius id liquet, nempe τὸ ὁμοούσιον nondum pro Fidei Articulo habitum fuisse, ex * Epistola *Constantini Magni* ad *Alexandrum* & *Arium* missa per *Hosium*, virum πίστεως ἀρετῇ δεδοκιμασμένον *ob fidei virtutem approbatum*; quam γράμμα τὸ ἀναγκαιότατον *scriptum summe necessarium* pronuntiat *Eusebius*; quam *monita* θαυμασιὰ καὶ σοφίας μεστὰ *admiranda & sapientiæ plena exhibuisse* † *Socrates* testatur. Est enim juxta hanc *Constantini* Epistolam controversia hæc mota ὑπὲρ τοῦ κορυφαίου καὶ ἐν τῷ νόμῳ πρώτου ἐντάλματος *non de præcipuo aut capitali legis* (Evangelicæ) *præcepto*, sed ὑπὲρ λίαν ἐλαχίστων *de rebus valde minutis, de parvis,* ματαίων καὶ μηδαμῶς ἀναγκαίων *vanis & rebus minime necessarijs, quæ non impediebant quo minus utrisq; esset* μία πίστις καὶ μία τῆς καθ' ἡμᾶς αἱρέσεως σύνεσις *una eademq; fides, unaq; de religione nostra sententia.* Hæc autem nec ab *Imperatore* virtutis cultoribus stipato, & cum ijsdem consilium capiente dici potuissent; nec ab *Hosio*, fidei virtute prædito, *Alexandrinis* ad concordiam redigendis inculcari; nec deniq; ab *Eusebio* & *Socrate*, in Fidei Ecclesiasticæ doctrina præ alijs versatis, tanquam *summe necessaria*, aut *monita admiranda*, & *sapientiæ plena* laudari poterant, si de capitali Fidei Articulo, & saluti obtinendæ creditu necessario, controversiam tunc motam existimassent.

* *Apud Euseb. de vita Constantini, l. 2. c. 68, ---71.*

† *Eccl. Hist. l. 1. c. 7, 8.*

3°. Id

III.

3°. Id ultra ex eo conſtabit, quod, cum ſemel orta eſſet hæc controverſia, ſeu πόλεμος διαλεκτικὸς *bellum Dialecticum*, prout à * *Socrate* appellatur; " extemplo [d] totam *Ægyptum*, *Libyam*, *Thebaidem*, " & omnes *Orientales* provincias pervaſit, & incre- " mentum continuo cepit; ita ut in qualibet civita- " te Epiſcopi contra Epiſcopos, plebs contra ple- " bem Symplegadum inſtar colliſi viderentur; idq; " ea potiſſimum de cauſa, quod eſſet † *Quæſtio anceps & dubia, de rebus utriq, parti ambiguis, res antea indiſcuſſas, in diſputationem adducens.* Quod inſuper *multi Epiſcopi, multi de Clero* λέγειν ὀρθῶς Ἄρειον ἐνόμιζον *recte Arium dicere ſentiebant, eiq; favebant* πλεῖστοι ἀγαθῷ βίου σεμνοί, καὶ πιθανότητι λόγου δεινοί, *multi ſanctioris vitæ ſpecie venerabiles, & dicendi arte pollentes.* Quod deniq; *Synodi* apud *Bithyniam* & *Paleſtinam* collectæ, cum *Ario* ὡς ὀρθῶς δοξάζοντι *ut recte ſentienti communicabant, & ad omnes ubiq; Epiſcopos ſcripſerunt, ut idem facerent.* An vero hujus momenti quæſtio, res anceps, dubia, indiſcuſſa, utriq; parti ambigua eſſe potuit? An Synodi binæ, Epiſcopi multi, multi de Clero tam arte dicendi, quam ſanctioris vitæ ſpecie venerabiles, *Ario* faviſſent, & cum eodem tanquam recte ſentiente communicaſſent? aut alios id facere monuiſſent, ſi idem nobiſcum de hoc Articulo non tantum ſenſiſſent, ſed id à Chriſtianis omnibus continuo factum fuiſſe exiſtimaſſent? Deniq; putare controverſiam motam de primario Fidei Articulo in Symbolo Fidei comprehenſo, à principio Chriſtianis omnibus prædicato, & pro Articulo ad ſalutem neceſſario habito, *Orientales* provincias omnes confeſtim pervadere potuiſſe, & Epiſcopos contra

* *Eccl. Hiſt. l. 1. c. 6.*

† *Sozom. Hiſt. Eccl. l. 1. c. 15. p. 426, 427, 428.*

---

[d] *Euſeb. ibid.* Eccleſiam perturbabant ἐξισταί τινες διαλέξεις εἰς ζήτησιν ἄγουσαι τὰ πρότερον ἀνεξέταστα, --ἀμφιβόλου ἦν τῆς ζητήσεως ἔτι δοκούσης εἶναι.

Epiſco-

Episcopos in civitate qualibet excitare; perinde est ac si dixeris, eos de Fidei Articulo quem quotidie recitabant, & in quem omnes baptizabant, inscios plane & ignaros extitisse.

IV. Est adhuc magis manifestum, *Concilij Constantinopolitani* sententiam neutiquam Catholicam fuisse. Ea etenim nos docet [e] " ita credere in nomen Pa- " tris, Filij, & Spiritus Sancti, ut pariter agnosca- " mus Filium & Spiritum esse cum Patre unius " Deitatis, potentiæ, & essentiæ, æqualis dignita- " tis, & coæterni imperij, in tribus perfectis hy- " postasibus, sive personis. Huic autem sententiæ plane repugnant ea quæ ex *Hermete*, *Irenæo*, *Athenagora*, *Origene*, *Pierio*, *Theognosto*, *Pseudo-Clemente*, *Dionysio Alexandrino*, *Novatiano*, *Lactantio*, & *Eusebio Cæsarienſi*, produximus. Tritaq; est observatio, quod ante sæculi tertij initium, *Veterum nemo Spiritum Sanctum Deum appellaverit.* His adde, quod seculo quarto *Basilius* confitetur, controversiam de Spiritu Sancto fuisse * σωπηθὲν τοῖς πάλαι *ab Antiquis silentio prætermissam. Et quoniam*, inquit [f] *multorum ora sese adversus Spiritum aperuerunt, & multorum linguæ ad jaciendas in illum blasphemias acuuntur, optimum factu esse ducimus, ut eos qui Spiritum Creaturam esse non dicant, ad communionem admittamus. Constat deniq;*, inquit † Huetius, *ne Basilij quidem tempore, & recentioribus etiam, Spiritus Sancti Divinitatem aperte profiteri ausos Catholicos, ne Pneumatomachorum petulantiam experirentur.* Certumq; est eundem *Basilium* alibi disertim dicere, *Spiritum non esse Deum*, sed *Dei Spiritum.* Hom. in Sanctum Baptisma. Tom. 1. p. 440.

* *Epist.* 387. p. 381.

† *Origenian. l.* 2. c. 2. *N.* 19.

---

[e] Sozom. Hist. Eccl. l. 7. c. 9. Theodoret. Hist. l. 5. c. 9. Θεότητος, καὶ δυνάμεως, καὶ οὐσίας μιᾶς,—ὁμοτίμως τε τῆς ἀξίας, καὶ συναϊδίας τῆς βασιλείας ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσιν, &c.

[f] Epist. 203. p. 222. ὃς μὴ λέγοντας κτίσμα εἶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔχεσθαι εἰς κοινωνίαν.

EPILO-

EPILOGUS,

Continens conjecturam noſtram de varijs ſententijs quæ inter Patres Ante-Nicænos *obtinebant, & de earum diſcrimine à Patrum* Poſt-Nicænorum, *ad tempora noſtra, Theologiâ.*

UNUM & ſolum eſſe Deum primum, & ſummum, quem Patrem, τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν *Deum ſuper omnia*, & ποιητὴν τῶν ὅλων *rerum omnium factorem* appellabant, eſt adeo perſpicue à Patribus *Ante-Nicænis* omnibus traditum, & multoties repetitum, ut nemo non plane videat ſummam Chriſtianæ Fidei in eo poſitam fuiſſe. * *Hermetis* primum mandatum de Fide in unum Deum his verbis exprimitur: *Primum omnium crede quod unus eſt Deus, qui omnia creavit, & conſummavit, & ex nihilo omnia fecit; ipſeq; capax univerſorum, & ſolus immenſus eſt.* *Clementem* R. inducit † *Irenæus* ex *Apoſtolica* traditione annuntiantem *unum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ, plaſmatorem hominis; atq; hunc Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti ab Eccleſia annuntiari.* Eandem traditionem à *Polycarpo* Eccleſiam accepiſſe docet. *Juſtinus*, Cohortatione ad Græcos, aſſerit Religionem *Chriſtianam exordium ſuum habuiſſe à Prophetis, qui unum Deum, præter quem alius non eſt, eſſe docuerunt.* *Irenæus* non tantum *Hermetis* mandatum, tanquam

I.

* *L.2. p.34.*

† *L.3. c.3.*

tanquam Ecclesiæ dictamen recitat, sed dicit *Ecclesiam Catholicam per totum orbem dispersam, hanc fidem ab Apostolis & Discipulis eorum accepisse, quæ est εἰς ἕνα θεὸν πατέρα in unum Deum Patrem Omnipotentem, qui fecit cælum & terram.* Idemq; ex *Athenagora, Theophilo Antiocheno, Tatiano,* & *Clemente Alexandrino* supra probavimus.

* *Lib.* 8. p. 385. * *Origenes* inscitiæ incusat *Celsum*, eo quod existimaret Christianos ἄλλον θεραπεύειν παρὰ τὸν ὄντα πᾶσι θεὸν *alium Deum colere præter eum qui est super omnia.* Est autem, inquit † *Tertullianus, Regula, ut jam hinc quid defendamus profitemur; ista scilicet, qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi Creatorem, qui universa ex nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium demissum.*--Idem ‖ *Novatianus* longa dissertatione probat. * *Lactantius* autem ait, idcirco Christum in mundum missum esse, *ut unum Deum gentibus prædicaret.*

† *De præscript. c.* 13. ‖ *De Trin. c. ult.* * *L.* 4. *c.* 12.

Notandum 2°. Hos omnes, si modo *Clementem Romanum, Hermetem,* & *Polycarpum* excipias, Christum Deum, Christianorum Deum, & pene omnes Deum ex Deo genitum nuncupasse. Ut autem duo hæc inter se convenirent, & salva maneret de uno & solo Deo Patre Regula, quam centies *Irenæus* exhibet, varijs se modis explicabant.

II. Quidam enim Deo Filio nullam propriam hypostasin tribuebant, sed eum ἀνυπόστατον & cum Patre plane eundem constituebant, & ὑοπατέρα appellabant, utpote qui in Patre qua λόγῳ, σοφίᾳ, ἐν δυνάμει pollebat, inexistentem; ex eo, quando voluerit Pater, ad opus progredientem, & postea ad eum revertentem, & in eo quiescentem. Sententiam hanc *agnoscit* † *Justinus* suo tempore obtinuisse, eamq; ad hunc modum explicat: "Sunt quidam qui dicunt, virtutem hanc à Patre rerum "omnium provenientem, & *Abrahæ* visam, *Angelum* vocari, cum ad homines quibus mandata Patris

† *Dial. cum Tryph. p.* 358.

" tris per eam nuntiaverit, progreditur; *gloriam*
" vero, cum in visione incomprehensibili aliquan-
" do exhibetur; & propterea *Verbum* appellari,
" quod Patris sermones ad mortales perferat. Vir-
" tutem illam à Patre nullo modo rescindi aut se-
" cerni posse aiunt; eo modo quo Solis lux in terris
" à Sole in cœlis existente rescindi, aut separari
" nequit. Et sicut Sole occidente unà aufertur lux;
" ita, inquiunt, cum Pater vult, virtutem hanc
" prosilire ex se facit; & cum voluerit, in seipsum
" revocat. Ego autem, inquit, multis probavi
" virtutem hanc, quam etiam *Deum* sermo *Pro-*
" *pheticus* adnuntiat, non ut Solis lumen ὀνόματι
" μόνον *nomine solum aliud numerari*, ἀλλὰ καὶ ἀριθ-
" μῷ ἕτερόν τι εἶναι *sed etiam numero aliud quid esse*. Ubi
præcipue notandum est, *Justinum* quidem senten-
tiam hanc improbare, eam vero sine censura aut
hæreseos nota dimittere. Sententiam hanc, quam,
post *Noetum* & *Praxeam*, *Sabellius* propugna-
vit, *Clementi Alexandrino* in *pædagogia* sua placuisse,
non sine ratione existimo; eamq; postea renovabat,
& pro ea acriter contendebat, *Marcellus Ancyræ*
Episcopus, docens Filium tantum fuisse λόγον προφο-
ρικὸν, nec aliam esse à Patre personam, ἓν ὄν καὶ ταὐτὸν
εἶναι τῷ θεῷ *unum vero atq; idem esse cum Deo Patre*,
μονὴ ὄν ἐνεργείᾳ προϊόντα τοῦ πατρὸς *solaq; operatione à*
Patre progredi; ut multis ostendit *Eusebius* contra
Marcellum, l. 1. c. 1. p. 4, 5, & p. 32, & 41.

Alij autem sentiebant, Patrem, Filium ἐνδιάθετον III.
intus in se semper habuisse, eo quod Pater semper
esset λογικὸς καὶ σοφὸς: quo sensu, monente *Eusebio*,
nec *Judæus*, nec *Gentilis*, nec ipse *Sabellius* Filium
semper extitisse negaverit. Ecquis enim sanæ men-
tis Deum semper sapientem, & ratione præditum
non existimat? Eundem vero à Patre προφορικὸν pro-
gredientem, prosilientem, emissum, adeoq; geni-
tum tunc tandem esse sentiebant, cum Deus Pater
ad mundi creationem se præparasset. Pro hac sen-
tentia

tentia pugnant ex Latinis *Tertullianus*, *Novatianus*, & *Lactantius*; ex Græcis, *Athenagoras*, *Tatianus*, *Hippolytus*. Sententiam hanc Episcopi, Presbyteri, Diaconi, [m] Epistola ad *Alexandrum* missa, rejiciunt his verbis; *Non agnoscimus Filium prius existentem, postea in Filium genitum esse aut creatum.* Hos autem omnes Patrem tantummodo pro uno Deo ingenito agnoscere potuisse, res ipsa loquitur. Quinimmo sententiam hanc celebrem, & pene communem, ante *Nicænum* Concilium fuisse, ex eo existimo, quod præfati Episcopi, Presbyteri, & Diaconi testantur, se sæpius audivisse ipsum *Alexandrum* in media Ecclesia prædicantem, quod Pater Filio præexistebat; & *Arius* ipse Epistola ad *Eusebium Nicomediensem* testatur, *omnes Orientales docuisse* ὅτι προϋπῆρχεν ὁ θεὸς τοῦ υἱοῦ *quod Deus Filio præexistebat.* Immo ipsum *Nicænum* Concilium, anathemate feriendo hæc *Arianorum* verba, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ πρὶν γεννηθῆναι, μὴ ὄντα, plane indicare videtur contrariam sententiam ijs placuisse. *Theodorit. Hist. Eccl. l.* 1. *c.* 8.

IV. Alij deniq; in Patre & Filio duas essentias, substantias, naturas, numero & ἀπολελυμένῳ distinctas, aliquo tamen modo conjunctas & ἀχωρίστως posuerunt. Inter quos primus eminet *Justinus*, quem secuti sunt omnes fere Scholæ *Alexandrinæ* Discipuli. Quibuscum consentit *Methodius*, & præ omnibus *Eusebius Cæsarienſis*, δεύτερον ὑπόστασιν *secundam hypostasin* cum *Origene* Filio tribuens, eumq; à Patre idcirco discernens, quod sit λόγος *extra Patrem* ὑφεστὼς καὶ ζῶν *existens & vivens.* Hinc cum *Marcellus Eusebium* forte *Nicomediensem* malæ fidei incusasset, quod ausus sit Filium *alterum Deum* nuncupare, à Patre essentiâ & potestate distantem, & dicere *quod Imago, & id cujus est imago, essent*

[m] Apud Epiphan. Hær. 69. N. 7. ὃς λέγει τὸν ὄντα πρότερον, ὕστερον γεννηθέντα, ἢ ἐπινοηθέντα εἰς υἱόν, supple πεδιόμφ.

δύο μὲν οὐσίας, δύο πράγματα, καὶ δύο δυνάμεις, *duas eſſentias, res, & poteſtates duas*: reſpondet * *Euſebius*, his *Marcellum* non recte obtrectaſſe, utpote non intelligentem poſſe Filium dici Patris ſui vivam imaginem, ἐπειδὰν ᾖ τῷ πατρὶ ὁμοιώτατος *eo quod ſit Patri ſimillimus*. Deinde *Narciſſum* incuſat *Marcellus*, eo quod docuiſſet θεὸν εἶναι τὸν πρῶτον, καὶ δεύτερον, *Deum eſſe primum, & ſecundum*; & quod Patrem & Filium † δύο οὐσίας εἶναι *duas eſſentias eſſe* prædicaſſet. *Paulinum*, quod non vereretur dictis & factis profiteri δεύτερον θεὸν εἶναι τὸν χριστὸν *Chriſtum ſecundum eſſe Deum*. Deniq; ipſum *Euſebium Cæſarienſem*, quod ſetipſiſſet *unum ſolum eſſe verum Deum*; quæ, inquit *Euſebius*, non ſunt verba *Euſebij*, ſed Salvatoris noſtri: " Tot, inquit, & talia, " & longe plura, non ſolum contra Epiſcopos ef- " fudit *Marcellus*, ἀλλὰ καὶ κατὰ ὑγιοῦς καὶ ἐκκλησιαστικῆς πίστεως, *ſed etiam* ‖ *contra ſanam & Eccleſiaſticam fidem*. " *Viâ enim Regiâ incedens Eccleſia* Dei, " ipſo Regenerationis Sacramento docet confiteri, " & credere in unum Deum Patrem Omnipoten- " tem; hanc exhibens perfectam eſſe, & conſumma- " tam Theologiam, ἣν θεὸν μὲν ἕνα παραδίδωσιν *quæ* " *unum Deum eſſe tradit*. Ne autem hinc colligeretur, ſententiæ hujus patronos *duos* Deos introduxiſſe, hunc metum vanum eſſe pronuntiat * *Euſebius*; " neq; enim neceſſe eſt, eum qui τὰς δύο ὑποστάσεις " ponit, duos Deos confiteri; οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους ὁριζόμεθα, *nec enim eas honore pares eſſe definimus, neq; ambas principio carentes, & ingenitas*. Et rurſus: † " Sin " autem metuant ne duos Deos profiteamur, ſciant, " quod licet Filium Deum eſſe profiteamur, εἷς ἂν " ᾖ τοιοῦτο θεὸς μόνος, *unus nihilominus Deus ſit*, is " nempe qui ſolus principio caret, qui ingenitus " eſt, qui propriam à ſe poſſidet Divinitatem, qui " Filio eſt exiſtendi ſibi cauſa, per quem & Filius " ipſe confitetur ſe vivere, *Joh.* 6. 57. & qui Filio " dedit habere vitam in ſeipſo, *Joh.* 5. 26. unde " Filius

* *Contra Marcell. l.* 1. *c.* 4. *p.* 24, 25.

† *à p.* 25, *ad p.* 29.

‖ *Ibid. c.* 8. *p.* 65.

* *L.* 2. *c.* 7.

† *L.* 1. *c.* 11.

" Filius docet Patrem esse Deum nostrum, & Deum
" suum, *Joh.* 20. 17. & quem *Apostolus* caput esse
" Filij docet, *Eph.* 1. 22. Uno autem existente
" principio, & capite, quomodo fiet ut sint duo
" Dij, ἐκεῖνος μόνος ὁ μηδένα ἀνώτερον ἔχει,
" *non unus, nempe ille solus qui neminem se superiorem habet*, cui nullus alius causam subsistendi
" dedit; qui ut suum peculium Deitatem ingenitam & principio carentem possidens, Filium
" participem fecit suæ vitæ & Divinitatis, sua
" omnia subjecta ei tradidit, eum misit, mandavit
" illi, docuit, omnia illi donavit, illum glorificavit, illum superexaltavit, regem omnium declaravit, judicium omne illi tradidit. Quem Filius
" precibus interpellat, cui obedit, cui gratias agit,
" quem solum unicum verum Deum credere nos
" docet, quem se majorem profitetur, quem super
" omnia existentem, suum etiam Deum esse scire
" nos omnes voluit.

V. Quidam deniq; *Arianis* præluxisse, ijsq; robur addidisse videantur, Christum inter Creaturas numerando, *factura*m κτίσμα, ποίημα eundem appellando; " à quibus verbis non abstinuisse, ante *Arium*, " quosdam Antiquos Patres, observat * *Cotelerius*; inter quos *Pseudo-Clemens*, &, si *Epiphanio*, *Hieronymo*, *Photio* fit fides, *Origenes*; si *Basilio*, *Gregorius Thaumaturgus*; si *Photio*, *Theognostus*. Hos autem omnes, ut ut Christum pro Deo facto agnoviſſent, eosdem tamen existimasse Christum à Deo summo tantum distare, quantum creatura ab omnium creatore; æquum est censere.

* *Not, in Recog. p.* 364.

VI. Patres vero *Post-Nicæni*, juxta Orthodoxorum sententiam, monarchiam & Dei unitatem conservandi gratia, unicam Patri & Filio naturam & essentiam tribuebant; adeoq; cultum, honorem, potestatem, gloriam coæqualem; eumq; Patri subjici, obedire, inservire, juxta humanam tantum naturam existimabant. Nec immerito; una enim eademq; nume-

numero natura, non poteſt ſibi imperare & obedire, ſubjici & ſuperiorem eſſe, jubere & quæ juſſa ſunt præſtare, ſibiq; inſervire. Adhæc duplex diſcrimen invenio inter Patres quoſdam *Ante-Nicænos*, & *Poſt-Nicænos*.

1°. Quod Patres *Poſt-Nicæni* omnes Filium à Patre *ab æterno* genitum eſſe affirmabant; ex Patribus vero *Ante-Nicænis* multi eum paulo ante mundi Ortum genitum pronuntiabant; nempe ex Latinis *Tertullianus*, *Novatianus*, & *Lactantius*; ex Græcis *Athenagoras*, *Hippolytus*, *Tatianus*.

2°. Patres *Ante-Nicæni* fere omnes, ex *voluntate* Patris, aut quando voluerit Pater, Filium genitum eſſe docuerunt: *Poſt-Nicæni* vero eundem ex neceſſitate genitum eſſe contendebant. Hinc cum * *Euſebium* damnaſſet *Marcellus*, quod Filij generationem ἐπὶ τὴν βυλὴν τὸ πατρὸς *in Patris voluntatem* retuliſſet: "Hoc illud ipſum eſt, *inquit Euſebius*, ὅπερ οἱ σοφώτατοι τῶν πατέρων ἐν τοῖς ἰδικοῖς συντάγμασιν ἀπεφήναντο *quod Patrum ſapientiſſimi in propriis ſcriptis ſanciverunt*. Atq; hæc eſt manifeſto ſententia *Juſtini*, *Irenæi*, *Novatiani*, & Patrum omnium, qui Chriſtum ex Patre genitum eſſe ſtatuebant paulo ante mundi conſtitutionem; ut mittam concilia omnia *Ariana* & *Semiariana*. τὰ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

* *L.* 1. *c.* 4. *p.* 20.

APPENDIX.

Appendicis vice adjicio quædam, de Hæresi Sabellianorum, *observanda.*

EST ergo imprimis notandum, quod primo & secundo sæculo nulla de duobus Dijs mentio sit facta; omnes etenim tunc cognoscebant Deum Patrem, unum, solum, verum Deum fuisse. Cum vero orta esset *Noeti* sententia, quam postea *Sabellius* amplexus est, omnes aut fere omnes qui contra *Sabellij* doctrinam scripta ediderunt, in eam quæ jam obtinet, sententiam, haud minus quam ipse *Sabellius*, peccasse videantur.

I. Exordium ducam à *Tertulliano*, qui contra *Praxeam*, eandem cum *Noeto* sententiam propugnantem, acrius decertando, in δ'ρμια haud minus absurdum incidisse videatur; nempe Filium & Spiritum Sanctum esse derivationes, & portiones quasdam, aut προβολὰς à Patris substantia emissas, adeoq; tres esse unius substantiæ connexas & cohærentes.

* *Adv. Prax.* c. 2. " * Filium, inquit, non aliunde deduco, sed de " substantia Patris; hoc mihi & ad tertium gra- " dum dictum sit. Est enim Filius, juxta *Tertul-*

† C. 4, 9. *liani* Theologiam, " † *modulo alius à Patre.* Pa- " ter enim tota substantia est, Filius vero derivatio " totius, & portio, sicut ipse profitetur, *quia Pater* " *major me est*; à quo & minoratus canitur in " Psalmo, *modicum quid citra Angelos.* Sic & Pa- " ter alius à Filio, dum Filio major". Et rursus;

" * Hi

" * Hi tres unum ſunt, non unus; quomodo dictum * C.25,26.
" eſt, *Ego & Pater unum ſumus*, ad ſubſtantiæ
" unitatem, non ad numeri ſingularitatem. Dicens
" autem Spiritus Dei, &, ſi Spiritus Dei, Deus;
" tamen non directo Deum nominans, *portionem*
" *totius* intelligi voluit, quæ ceſſura erat in Filij
" nomen. Ideo Spiritus Dei Deus, & Sermo Dei
" Deus, quia ex Deo, non tamen ipſe ex quo eſt.
" Quod ſi Deus Dei, tanquam ſubſtantiva res; non
" erit ipſe Deus, ſed hactenus Deus quà ex Dei
" ſubſtantia, quà & ſubſtantiva res eſt, & *portio*
" *aliqua totius*. Hinc illud Chriſti, *Exivi à Patre*,
ſic interpretatur, " † ut radius à ſole, ut rivus à † *Ibid. c.22.*
" fonte ". Radius autem à ſole porrigitur, portio *Apol. c. 21.*
à ſumma. Doctrinam hanc, quam à *Montaniſtarum Paracleto* didiciſſe ſe fatetur *Septimius*, *Origenes* qui ultra triginta annos poſt ipſum floruit, his verbis refellit. " [m] Alij illud, *Exivi à Deo*, po-
" ſuerunt pro eo quod *ſum genitus à Deo*. Hoc
" autem poſtulat ut dicatur, genitum fuiſſe Filium
" ex ſubſtantia Patris, veluti *minorati:* Et poſt-
" quam Filium genuiſſet, carentis ſubſtantia Filij,
" quam prius habuit.

Proximus huic accedit ipſe *Origenes*, ante *Sabellium* denatus, *Noeto* vero contemporaneus; qui cum citaſſet hæc verba, ‖ *Ego & Pater unum ſumus*, quibus oſtenderet Chriſtianos οὐκ ἄλλον θεὸν
" πιστεύειν παρὰ τὸν ὅλων θεὸν, *non alium colere præ-*
" *ter eum qui eſt Deus ſuper omnia*, quo epithero
Patrem ſemper intelligit; " Ne quis hinc, inquit,
" ſuſpicetur nos accedere πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας δύο τὰ
" ὑποστάσεις τὸν πατέρα καὶ υἱὸν, ad eos qui negant Pa-
" trem & Filium duas eſſe hypoſtaſes, ὅπερ καὶ τὸ τὸ

II. ‖ *L.8.contr. Celſum, p. 385, 386.*

[m] Οἷς ἀκόλουθον ἐκ τῆς οὐσίας φάσκειν τοῦ πατρὸς γεγεννῆσθαι τὸν υἱὸν, οἱονεὶ μεμερισμένης καὶ λειπούσης τῇ οὐσίᾳ τὴν προόρισιν εἰ μὴ τοῦ υἱοῦ, ἐπὰν γεννήσῃ τὸν υἱόν. Com. in Joh. p. 306.

" perpendat dictum illud, *erat omnium credentium*
" καρδία καὶ ψυχὴ μία, *cor & anima una*, ἵνα διαγνῷ
" τὶ, ut inde sciat quo sensu intelligendum sit illud,
" *Ego & Pater unum sumus* ". Deinde, ad hunc modum pergit: Colimus ergo Patrem veritatis,
" & Filium veritatem, quæ quidem duæ sunt res
" subsistantiâ, sive hypostasi; unum vero concordia,
" consensu, & voluntatis sive consilij identitate;
" adeo ut qui vidit Filium, qui est splendor gloriæ,
" & character substantiæ Dei (Patris,) viderit in
" ipso qui est imago Dei, Deum Patrem ". Clara quidem hæc esse videntur; sed magis perspicua evadent observando, *primo*, discrimen quod ponit *Origenes* inter Patrem veritatis, & veritatem, i. e. Filium. Conferendo enim *lucem quæ in tenebris lucebat*, Joh. 1. 5. & quæ *lux vera* appellatur, v. 9. cum luce *in qua nullæ sunt tenebræ*, 1 Joh. 1. 5. dicit * " ὐ ταὐτὸν τὸ εἶ *non idem esse*, sed δύο φῶτα τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν *duo lumina, Patrem & Filium.*
" [f] *Qua enim ratione Pater veritatis, Deus amplior*
" *& major est, quam veritas; & is qui Pater est*
" *sapientiæ, præstantior est ipsa sapientia; eadem ra-*
" *tione excellit Filium, quo est lux vera.* Certius
" autem sciamus δύο φῶτα τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν τυγχάνειν,
" Patrem & Filium duo esse luminaria, ex verbis *Da-*
" *vidis* dicentis, *Psalm.* 35. *in lumine tuo videbimus*
" *lumen.* Atq; hæc dicta esse profitetur contra quosdam, qui ex his locis colligi existimabant τῇ οὐσίᾳ μὴ διεστηκέναι τὸν υἱὸν τοῦ πατέρα, i. e. *Patrem à Filio substantia sive essentia non differre.*

* *Comm. in Joh. p.* 70.

Notandum est 2°. quo sensu *Origenes* agnoscit Filium esse Patris imaginem. Hoc autem hæc ver-

---

[f] Ὡ? ἢ λόγῳ ὁ πατὴρ τῆς ἀληθείας, θεὸς πλείων ἐστὶ καὶ μείζων τῆ ἀληθείᾳ, καὶ ὁ πατὴρ ὧν σοφίας κρείττων ἐστὶ καὶ διαφέρων ἢ σοφία· τοῦτο γὰρ περιέχει τὸ εἶ φῶς ἀληθινόν, &c. ibid.

ba

ba indicant: " [n] Quantacunq; eſt celebratio Filij " antecellentis thronos, dominationes, principatus, " & poteſtates, &c. & præterea, ſanctos Angelos, " καὶ ψυχῶν δικαίων καὶ λέγειν (*lege* λογικῶν) & animas " juſtas, & rationales; is tamen qui tantis ac talibus excellentior eſt eſſentiâ, dignitate, poteſtate, " ac Divinitate, Patri in nulla re comparatur. " Eſt enim Imago bonitatis ejus (*vide quomodo* " Com. in Matth. p. 378.) & ſplendor non Dei, " ſed gloriæ ejus, & vapor non Patris, ſed poteſtatis ejus". Et rurſus: Fortaſſe ob hanc rationem " *imago eſt inviſibilis Dei*: [p] Voluntas enim quæ in " in ipſo, eſt imago primæ voluntatis; & Deitas " quæ in ipſo eſt, imago eſt veræ Deitatis". Hinc *Apologiſta Origenis*, apud *Photium*, ingenue fatetur eundem [q] " *Sabellij* Hæreſi ſemet opponentem, ita " in contrarium abreptum fuiſſe, ut *Arianico* morbo correptus videretur.

Tertius qui ſemet *Sabellianorum* Hæreſi oppoſuit, eſt *Dionyſius Alexandrinus*, qui, teſte * *Baſilio*, primus hominibus ſeminaria præbuit τῆς ἀπεβείας τῆς καθ' Ἀνόμοιον *impietatis Anomœanæ*, quæ Filium Patri ſimilem eſſe denegavit. Hic nempe, dum impietati illius ſemet acriori impetu opponit, εἰς τὸ ἐναντίον κακὸν in malum oppoſitum dilapſus eſt; & non tantum perſonarum diverſitatem poſuit, ἀλλ' οὐσίας διαφορὰν, καὶ δυνάμεως ὕφεσιν, καὶ δόξης παραλλαγὴν, III.

* *Ep.* 41. p. 60.

---

[n] Ἀλλ' ὅμως τοσούτων καὶ τηλικούτων ὑπερέχων οὐσίᾳ, καὶ ἀξιώσει, καὶ δυνάμει, καὶ θειότητι, ὃ συγκρίνεται καθ' ὁδὲν τῷ πατρὶ. Com. in Joh. p. 218. Εἰκὼν γὰρ ὅτι τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, καὶ ἀπαύγασμα οὐ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ ἀτμὶς οὐ τοῦ πατρὸς, ἀλλὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Ibid.

[p] Καὶ γὰρ τὸ ἐν αὐτῷ θέλημα, εἰκὼν τοῦ πατρὸς θελήματος, καὶ ἡ ἐν αὐτῷ θειότης, εἰκὼν τῆς ἀληθινοῦ θειότητος. Ibid. p. 228.

[q] Ἀντιπερόμενον αἱρέσει Σαβελλίου, εἰς τἐναντίον ἐκπεσεῖν, ἐξ ἧς δόξαι τῷ Ἀρειανικῷ ἀῤῥωστήματι ἁλωκέναι. Apud Phot. cod. 117.

ſed etiam eſſentiæ differentiam, & poteſtatis diminutionem, & gloriæ mutationem; atq; hinc contigiſſe, ut malum malo permutaverit, & ab orthodoxo ſermone aberraverit.

IV. *Euſebius* deniq; contra *Marcellum* ejuſdem ſententiæ Patronum, juſſu *Synodi Conſtantinopolitanæ*, anno Chriſti 336 habitæ, librum conſcripſit, in quo ſancte profitetur, " nihil ſibi proprium, nul-
" lumve ſapientiæ ſuæ inventum ſe in medium ad-
" ducturum eſſe; τὴν ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἀδιάφθορον
" διδασκαλίαν, ſed tantum *incorruptam Eccleſiæ Dei doctrinam*, quam à Teſtibus auritis & oculatis olim accepit. Is tamen ſæpius contendit, Filium Dei non eſſe τὸν ἐπέκεινα τῶν ὅλων, τὸν ἐπὶ πᾶσι, τὸν ἐπὶ πάντων, θεὸν, Deum ſuper omnia, ſive ſupremum; nempe l. 1. c. 7. p. 65. c. 20. § 3. p. 84. l. 2. c. 4. p. 107. c. 14. p. 121, 122. & c. 17. p. 127.

V. *Secundò*, Eſt adhuc præcipue obſervandum, quod cum *Sabellij* diſcipuli continuo id ingeminarent, ab ijs ſolum *Monarchiam conſervari*, ex Adverſariorum autem ſententia *duos aut plures Deos introduci*, Patres *Ante-Nicænos* nunquam reſpondere, id minime ſequi, *eo quod*, juxta eorum ſententiam, una numero eſſet Patris & Filij, & ſingularis eſſentia, prout poſtea obtinuit; ſed tantum aſſerendo duos à ſe Deos nequaquam introduci, *eo quod* Filius non eſſet ejuſdem cum Patre eſſentiæ, aut Deus ſuper omnia, neq; æqualis cum Patre honoris, ſed Deus alius eſſentia, Patri inferior, eidem ſubditus, miniſtrans, obediens in omnibus, etiam ante incarnationem.

VI. Huic objectioni primo reſpondet * *Origenes*,
* *Com. in Joh. p.* 46. " ut ſcrupulum ab ijs eximeret qui εὐλαβούμενοι
" δύο ἀναγορεῦσαι θεούς metuentes ne duos prædicarent
" Deos, negabant proprietatem vel perſonam Filij
" aliam eſſe à perſonâ Patris, Filiumq; *nomine*
" *ſolum* Deum alium à Patre conſtituebant; quod *Noeti* ſententiam plane reſpicit. His, inquit,

" dicen-

" dicendum eſt, Deum αὐτόθεον ex ſeipſo exiſten-
" tem, ſive Deum cum articulo, eum indicare
" quem Chriſtus *ſolum verum Deum*, in oratione
" ad Patrem, enuntiat. Deum autem ſine articulo,
" Deum Verbum ſignificare, τῇ μετοχῇ τῆς ἐκείνου θεό-
" τητος θεολογούμενον, qui Deus factus eſt participa-
" tione Divinitatis ejus". Per quam μετοχὴν non poſſe *Origenem* intelligere numericæ eſſentiæ Patris participationem Filio per generationem communicatam, conſtat, 1°. quod ſicut alibi dicit, ſe probaſſe Patrem à Filio ſubſtantiâ alterum eſſe, ita hic p. 76, contendit eos ſubſtantiâ differre. 2°. Quoniam p. 308. generationem Filij ex Patris eſſentia non poſſe fieri decernit, ſine diminutione eſſentiæ paternæ: & *deniq*; quoniam hic agnoſcit Deos inferiores, Angelos nempe, Judices, & poteſtates civiles, Deos factos eſſe μετοχῇ θεοῦ; id enim hæc verba ſequentia plane indicant: " Fortaſſe multi of-
" fendantur [r], quod cum Patrem, unum verum
" Deum annuntiaverim, de multis participatione
" Dei Dijs factis, locutus fuerim; metuentes ſci-
" licet ne gloriam Dei creationem omnem ſuperantis, reliquis nomen Dei ſine articulo obtinentibus æqualiter tribueremus. Ultra ergo priorem differentiam, dicendum eſt, Patrem, qui verus Deus eſt, Chriſtianis unicum Deum eſſe inter multos Deos; & Filium inter multos Dominos, unum Chriſtianorum eſſe Dominum; & quod Deus Verbum ſuperioris ordinis exiſtens, Dijs reliquis ſupereminet, * ὑπερέχομαι δὲ ὑπὸ τοῦ τῶν ὅλων θεοῦ, *eſt tamen à Deo rerum omnium ſuperatus.* Pergit Origenes ad verba ſequentia, *omnia per ipſum facta ſunt*; dicitq; [s] omnia δι' αὐτοῦ per ipſum facta eſſe, ſed non

* *Ibid.* p. 49.

[r] Ἑνὸς ἀληθινοῦ τοῦ παρὰ τοῖς ἀπαγγελλομένου παρὰ τὸν ἀληθινὸν θεὸν, θεῶν πλειόνων τῇ μετοχῇ θεοῦ γινομένων. Ibid.

[s] Ὑπὸ κρείττονος καὶ μείζονος παρὰ τὸν λόγον· τίς δ' ἂν αὐτὸς τυγχάνῃ ἢ ὁ πατήρ; Ibid. p. 56.

ὑπ' αὐτῦ *ab ipso, ſed à præſtantiore & majore quam ſit ipſum Verbum. Quis autem alius ipſe eſſet, niſi Pater?* Et rurſus; " Non eſt præſentis temporis oſtendere * ὅτι ὁ ὑπηρέτης τῦ δημιεργῦ ὁ λόγος κινήσας, τὸν κόσμον κατεσκάσε, *quod Verbum, miniſter Opificis factum, mundum condiderit.*

* *Ibid. p. 61.*

VII. Secundus inter Patres Græcos, quorum ſcripta ad manus noſtras pervenerunt, eſt *Euſebius Cæſarienſis*; qui fere vigeſies negat Filium eſſe τὸν ἐπέκεινα τῶν ὅλων, τὸν ὑπὲρ πᾶσι, ἢ τῶν ὅλων θεὸν, i. e. Deum ſuper omnia; eumq; † ἕτερον εἶναι θεὸν οὐσίᾳ καὶ δυνάμει διεζευγ-

† *L. 1. contra Marcel. c. 4. p. 18, 25.*

" μένα τῦ πατρὸς alterum eſſe Deum eſſentia & poteſtate à Patre differentem, ὀρθῶς καὶ ἐκκλησιαστικῶς " recte & juxta Eccleſiæ doctrinam, dici teſtatur. " Filiumq; idcirco Deum eſſe, quod ſit εἰκὼν τῆς " πατρικῆς θεότητος *paternæ Deitatis Imago.* Imago " autem, & id cujus eſt Imago, ſunt δύο μὲν οὐσίαι, " δύο πράγματα, καὶ δύο δυνάμεις, duæ eſſentiæ, res " duæ, & poteſtates duæ. Deniq; ad *Sabellianorum* objectionem, quod Filium Deum alterum à Patre conſtituendo, duos Deos introducebant; reſpondet, " id minime ſequi, quod nos, qui duas hypoſtaſes " agnoſcimus, [e] *non eos honore pares eſſe decerni-* " *mus.* Quocirca unus Deus apud Eccleſiam præ- " dicatur, Filij Pater, quem Filius honorat, adorat, " & veneratur, Patrem ſuum ipſum & Deum ſuum " inſcribens, cui preces fundere dicitur, cui gratias " agit, cui obediens fuit uſq; ad mortem; qui fa- " tetur ſe vivere per Patrem, nec quicquam facere " poſſe ſine Patre. Quibus omnibus oſtendit, ſe " alium à Patre eſſe, & excellentiam gloriæ Patris " exprimit, cum ſe ab illo miſſum eſſe dicit. Se " vero miſſum de cœlo deſcendiſſe, non ut volun- " tatem ſuam faceret, ſed voluntatem ejus qui mi- " ſit eum". Et rurſus: " Eccleſia non duos Deos

---

e Οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους αὐτὰς δείκνυμεν. Eccl. Theol. l. 2. c. 7.

" præ-

" prædicat; [f] non enim duos ingenitos, nec duas " ſubſtantias honore pares, ſibi invicem oppugnan- " tes inducit; ſed unum principium, nempe Patrem " unigeniti ſui Filij, qui eſt, ſecundum *Apoſtolum*, " Rom. 16. 27. μόνῳ σοφῷ θεῷ *ſolus ſapiens Deus.* " Et 1 Tim. 1. 17. cap. 6. 15. ὁ μόνος δυνάστης *ſolus* " *poteſtatem habens.* Ver. 16. ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν " *ſolus habens immortalitatem.* ὁ μόνος θεὸς, *qui ſo-* " *lus Deus eſt.* Jud. 25. *cui gloria per Jeſum Chri-* " *ſtum in ſæcula ſæculorum, amen.* Quem & ipſe " Salvator Deum unum, ſolum, verum eſſe docet. Deniq; * " Princeps, inquit, Eccleſiæ, & Dux Fi- " lius dicatur; caput autem hujus erit Pater: ἓν ἄρα " εἷς θεὸς *unus igitur iſte Deus eſt*, vel πῶς *ita* " *Deus unus eſt*: Qui eſt unigeniti Filij Pater, & " unicum ipſius Chriſti caput. Cum vero unicum " ſit principium, & caput unicum, πῶς ἂν γένοιντο " θεοὶ δύο, καὶ οὐκ εἷς ἐκεῖνος μόνος, quomodo fiet ut ſint " duo Dij, & non unus, ille ſolus? qui nullum " ſe ſuperiorem habet, nullam aliam ſui cauſam; " ſed tanquam ſibi propriam poſſidet ingenitam & " principio carentem μοναρχικῆς ἐξουσίας τὴν ἀιότητα, " ſingularis imperij Deitatem; quem Filius preci- " bus interpellat, cui obedit, cui gratias agit, quem " ſolum unicum verum Deum credere nos docet, " quem ſe majorem profitetur, quemq; adhuc ſu- " per hæc omnia ſuum quoq; eſſe Deum nos om- " nes ſcire voluit.

* *Contra Marcel. l.* 1. *c.* 11. *p.* 70.

Atq; his conſona ſunt ea quæ † *Novatianus*, ei- VIII. dem objectioni reſpondens, exhibet. " Nos enim, † *C.* 30, 31. " inquit, & ſcimus, & credimus, & legimus " unum eſſe Deum, qui fecit cœlum pariter & ter- " ram; quoniam nec alterum novimus, nec noſſe " (cum nullus ſit) poterimus. Eſt autem Chriſtus

---

[f] Οὐδὲ γὰρ δύο οὐσίας ἐξ ἰσοτιμίας ἀντιπαίξαι μάχας ἀλλήλοις φύσει. Ibid. c. 23.

" Deus,

" Deus, utiq; procedens de Deo, ſecundam perſo-
" nam conſtituens; ſed non eripiens illud Patri
" quod unus eſt Deus; quiq; ideo duos Deos non
" introduxit, quia non duos *æquales*, non duos *pares*,
" *æquatione in utroq; oſtenſa*, poſuit. Id enim ſi
" feciſſet, merito duorum Deorum, quam ipſi
" confingunt, controverſiam ſuſcitaſſet. Idemq;
capite decimo ſeptimo monſtrat, dicendo, " Hic
" ergo *quamvis* in forma Dei, non eſt rapinam ar-
" bitratus æqualem ſe eſſe Deo. Quamvis enim
" ex Deo Patre ſe Deum eſſe meminiſſet, nunquam
" ſe Deo Patri comparavit, aut contulit; memor
" ſe eſſe ex ſuo Patre, & hoc ipſum quod eſt, ha-
" bere ſe, quia Pater dediſſet. Unde deniq; &
" ante carnis aſſumptionem, omnem Patri in om-
" nibus obedientiam præſtitit: ex quo probatur
" nunquam arbitratum illum eſſe rapinam quan-
" dam Divinitatem, ut æquaret ſe Patri.

IX. *Praxeanis* hoc velut proprium ſibi ipſis vindican-
tibus, quod *unum Deum colerent*, & *Monarchiam*
* *Adverſ.* *ſervarent*, reſpondet * *Septimius*; " Non officere
Prax. c. 3. " monarchiæ, quod plures habeat officiales: Cum
enim conceſſiſſet, *Monarchiam nihil aliud ſignificare,*
quam ſingulare & unicum Imperium, negat tamen
" Monarchiam hanc præſcribere, ideo quia unius
" eſt, eum cujus ſit, aut Filium non habere, aut
" ipſum ſe ſibi Filium feciſſe, aut Monarchiam
" ſuam non, per quos velit, adminiſtrare. Atquin
" nullam dico dominationem ita unius ſui eſſe, ita
" ſingularem, ita monarchicam, ut non etiam per
" alias proximas perſonas adminiſtretur, quas ipſa
" proſpexerit officiales ſibi". Eodemq; modo *La-*
ctantius rem explicat. Cum enim præmiſiſſet, *nos*
eſſe religioſos, qui vero & uni Deo ſupplicamus,
†*L. 4. c. 29.* continuo hæc ſubjicit; † " Fortaſſe quærat aliquis,
" cum Deum nos unum colere dicamus, quomodo
" duos tamen eſſe aſſeveremus; Deum Patrem, &
" Deum Filium?" Is enim, poſt alia quæ ſuo loco

explica-

explicavimus, " Propriori, inquit, utar exemplo: " Cum quis habet Filium, quem unice diligit, qui " tamen sit in domo, & manu patris, licet ei no- " men Domini, & potestatem concedat, civili ta- " men jure & domus una, & unus Dominus no- " minatur; sic hic mundus una Dei domus est, & " Filius & Pater qui unanimes incolunt mundum, " Deus unus, quia & unus est tanquam duo, & " duo tanquam unus. Neq; id mirum, cum & " Filius sit in Patre, quia Pater diligit Filium; & " Pater in Filio, quia voluntati Patris fideliter paret, " nec unquam faciat aut fecerit nisi quod Pater aut " voluit, aut jussit.

Porrò, Monarchiam non esse læsam, eo quod per Filium dispensatur, ex eo probat *Tertullianus*, " * Quod adeo manet in suo statu, licet Trinitas in- " feratur, ut etiam restitui habeat Patri à Filio; si- quidem *Apostolus* scribit de ultimo fine, *Quum tradiderit Regnum Deo, & Patri; oportet enim eum regnare usq; dum ponat inimicos ejus Deus sub pedes ipsius.---cum autem subjecta sunt ei omnia, utiq; absq; eo qui subjecit ei omnia, tunc & ipse subjicietur illi qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* " Videmus igitur non obesse Monarchiæ Filium, " etsi hodie apud Filium est, quia in suo statu apud " Filium est, & cum suo statu restituetur Patri à " Filio; ita eam nemo hoc nomine destruet, si Fi- " lium admittat, cui & traditam eam à Patre, & " à quo quandoq; restituendam Patri constat". * *Adverſ. Prax. c. 4.*

Idem ex iisdem verbis colligit † *Novatianus* his verbis: " Est ergo Filius Deus, sed in hoc ipsum " genitus, ut esset Deus; est & Dominus, sed in " hoc ipsum à Patre, ut esset Dominus.---cujus sic " Divinitas traditur, ut non aut dissonantia aut æ- " qualitate (*sic enim legendum esse præcedentia monstrant*) Divinitatis, duos Deos reddidisse vi- " deatur. Subjectis enim ei quasi Filio omnibus " rebus à Patre, dum ipse cum his quæ illi subje- " cta † *De Trin. c. 31.*

" cta ſunt, Patri ſuo ſubjicitur, Patris ſui quidem
" Filius probatur, cæterorum autem & Dominus
" & Deus eſſe reperitur. Ex quo, cum huic qui
" eſt Deus, omnia ſubſtrata traduntur, & cuncta
" ſibi ſubjecta Filius accepta refert Patri, totamq;
" Divinitatis auctoritatem rurſus Patri remittit;
" unus Deus oſtenditur verus, & æternus Pater.

X. *Tertio*, Eſt inſuper notandum, ea quæ *Sabelliani* ex ſcripturis adducebant in ſententiæ, quam propugnabant, ſubſidium; eadem prorſus loca eſſe ex quibus *Athanaſius*, & Patres reliqui *Poſt-Nicæni* ſententiam orthodoxam confirmare nitebantur. *Praxeanorum* robur his verbis exprimit *Tertullianus*:

* *Adverſ. Prax. c.* 20. " * Argumentationibus eorum adhuc retundendis
" opera ponenda eſt, ſi quid de Scripturis ad ſen-
" tentiam ſuam excerpent. Nam ſicut in Veteri-
" bus nihil aliud tenent quam, *Ego Deus, & alius*
" *præter me non eſt*; ita in *Evangelio* reſponſum
" *Domini* ad *Philippum* tuentur, *Ego & Pater unum*
" *ſumus*, &, *qui videt me, videt & Patrem*, &
" *Ego in Patre, & Pater in me*; his tribus capitu-
" lis totum inſtrumentum utriuſq; Teſtamenti vo-
" lunt cedere. *Euſebius* pariter: [m] " Tribus his
" dictis uti ſolebant *Sabelliani*, quoties oſtendere
" conantur Patrem & Filium unum eſſe: nunc
" illud celebrantes, *Ego & Pater unum ſumus*;
" nunc vero illud, *Pater in me, & ego in Patre*;
" & illud, *videns me, vidit & Patrem*. *Athanaſius* vero ex ijſdem verbis vigeſies ad minimum contendit, Deum Patrem & Filium natura, eſſentia, ſubſtantia unum eſſe, & perſonalitate tantum à ſe invicem diſtingui: v. g. de omnibus his locis ſimul conjunctis vide Epiſtolam de *Nicæna Synodo*, p. 281. contra *Arianos* orat. 1ma. p. 296, 297. Orat. 2da.

---

m Οἱ Σαβελλίζοντες χρῆσθαι εἰώθασι τοῖς ῥητοῖς, Ὁ πατὴρ καὶ ἐγὼ ἕν ἐσμεν, θρυλλοῦντες, &c. Eccleſ. Theol. l. 3. c. 19. p. 340.

p. 340. Orat. 3ª. p. 404, & p. 424. Orat. 4ta. 457. ἡ γὰρ ἐν υἱῷ θεότης τοῦ πατρός ἐστι, καὶ αὐτὴ ἐν τῷ υἱῷ ἐστι, nam " Filij Divinitas Patris eſt, illaq; ipſa in Filio eſt. Et p. 458, & 469, & p. 518. Orat. 5ta. p. 531, 532, 534. De ſententia *Dionyſij Alexandrini* duo ſimul, p. 550, 555, 568. De humana natura ſuſcepta, p. 597. Epiſtola ad *Africanos*, p. 939, 940, & 938.

2°. Aliter plane reſpondent his Argumentis *Ante-Nicæni* Patres, aliter *Poſt-Nicæni*.

Ad primum, *Ego & Pater unum ſumus*; Reſpondet *Origenes* his verbis: " [d] Voluntas Filij in " variabilis eſt à voluntate Patris; adeo ut non " ſint amplius duæ voluntates, ſed voluntas; quæ " una voluntas cauſa eſt quod dicit Filius, *Ego & " Pater unum ſumus*: & propter hanc voluntatis " unitatem *qui me videt, videt etiam mittentem me.* Et rurſus: * " Si quis, inquit, metuat, ne recen- " ſendo verba hæc, *Ego & Pater unum ſumus, & " Ego in Patre & Pater in me*, accederem ad eo- " rum ſententiam qui δύο ὑποστάσεις duas ſubſtantias " tollunt; intelligat illud, *credentium erat* καρδία " καὶ ψυχὴ μία *cor & anima una*, ἵνα διωρήσῃ τὸ, ut " ſenſum hujus dicti percipiat, *Ego & Pater unum " ſumus.* Colimus ergo Patrem veritatis, & Fili- " um veritatem; quæ duæ quidem ſubſtantiâ res " ſunt, unum vero concordia, & conſenſu, & iden- " titate voluntatis. Ubi una atq; eadem voluntas Patris & Filij eſſe dicitur, eo quod à Patris voluntate voluntas Filij varia nunquam eſſet, ſed perpetuo conſpirans; eſſetq; adeo, ut alibi dicit, τοῦ πρώτου θελήματος εἰκών, *Imago primæ voluntatis.* Deniq; " Ut Pater & Filius unum ſunt, ſic qui unum Spi- " ritum habent, in unione coarctantur. Ait quippe

* *Contra Celſ. l. 8. p. 386.*

---

[d] Εἰς τὸ μηκέτι εἶναι δύο θελήματα, ἀλλὰ θέλημα· ὅπερ ἦν θέλημα αἴτιον ἦν τὸ λέγειν τὸν υἱὸν, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν· καὶ διὰ τοῦτο τὸ θέλημα, ὃ ἐωρακώς τις τὸν υἱὸν, &c. Com. in Joan. p. 227.

Salva-

" Salvator, *Ego & Pater unum ſumus*; &, *Pater ſancte, rogo, ut ſicut ego & tu unum ſumus, ita & iſti in nobis unum ſint*; & in *Apoſtolo* legitur, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis, in unitatem Chriſti.* " Ex quo ſignificatur quia virtus ex plurimis unum " faciat. Hom. 4. in *Ezech.* f. 148.

* *Eccleſ. Theol. l.* 3. *c.* 19.

Juxta * *Euſebium*, hæc intelligenda ſunt eo ſenſu quo Filius Patrem orat ut diſcipuli ejus ἓν ὦσι " *unum ſint.* Et *gloriam quam dediſti mihi, dedi* " *ipſis, ἵνα ὦσι ἓν ut ſint unum, ſicut nos ſumus. Ego* " *in iis, & tu in me, ἵνα ὦσι κατηρτισμένοι εἰς ἕν, ut* " *ſint conſummati in unum.* Ex quibus, inquit, " † manifeſtum eſt ὡς ὅτι κατ' οὐσίαν μίαν non " juxta unam ſubſtantiam, ἀλλὰ κατὰ κοινωνίαν τῆς " δόξης ſed juxta communionem gloriæ quam cum " diſcipulis ſuis impertiat, hæc verba intelligenda " eſſe". Atq, hinc ita diſſerunt quidam: *Apoſtoli* non ita in Chriſto erant, aut Chriſtus in eis, ut una numero eſſet ſubſtantia Chriſti, & diſcipulorum; nec *Chriſtus* petiit à Patre, ut diſcipuli omnes ſecum eſſent una numero eſſentia: Non ergo ex paribus verbis ſequitur, ita unum eſſe Patrem & Filium.

† *Ibid.*

Ad locum ſecundum, *Ego in Patre, & Pater in me*, reſpondet *Origenes*, loco jam allato, intelligendum illum eſſe juxta ſenſum horum verborum, *Erat credentium omnium cor unum, & anima una.* *Euſebius* autem: ‖ " Fuit in Patre, & Pater in ipſo, " quemadmodum docet *Apoſtolus* de illis omnibus " qui regno cœlorum digni fuerint, *tunc erit Deus* " *omnia in omnibus*; & illud, ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς *in-* " *habitabo in illis*; & quomodo dictum eſt, *nos* " ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν, *in illo vivimus,* " *movemur, & ſumus.* Quæ quidem omnia di- " cuntur de nobis propria ſubſtantia exiſtentibus, " nec quicquam habentibus commune πρὸς πατρικὴν " θεότητα cum Patris Divinitate. Huc illud refe- runt nonnulli, *in die illa cognoſcetis* quod ἐγὼ ἐν

‖ *Ibid. c.* 20.

τῷ

τῷ πατρὶ μὲν, καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν, *Ego ſum in Patre, & vos in me, & ego in vobis*, Joh. 14. 20. & cap. 17. 21, " pro credentibus, *rogo ut omnes* " *unum ſint, ſicut tu, Pater, in me, & ego in te.* " In quibus, inquit *Euſebius*, perſpicue indicavit " ad eum modum in ipſo eſſe Patrem, καθὼς καὶ ἐν " ἡμῖν ἂν βούλεται, quo & in nobis vult eſſe. Quod clare explicat * *Origenes* dicendo, " Per illud Spiri- " tus Sancti donum completur ille ſermo, quem " Dominus dixit, *ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, & iſti in nobis unum ſint.* Divinæ ſcilicet naturæ participes effecti, in abundantia charitatis per Spiritum Sanctum miniſtratæ.

* *L. 4. in Rom. c. 5. f. 167.*

Ad tertium, nempe, *qui videt me, videt & Patrem*, audivimus *Origenem* dicentem, vidiſſe illum Patrem ὡς ἐν εἰκόνι *ut in imagine & ſpeculo*, & voluntatem Filij videndo, quæ à Patris voluntate nunquam variat; adeo ut ſit utriuſq; ἓν θέλημα voluntas una; eo nimirum ſenſu quo *Apoſtolus* hortatur Chriſtianos τὸ αὐτὸ, τὸ ἓν φρονεῖν *idem ſentire*, Rom. 12. 16. Eph. 2. 2. Armari τῇ αὐτῇ ἐννοίᾳ *eadem mente*. 1 Pet. 4. 1. *Glorificare Deum* ἐν ἑνὶ στόματι *in uno ore*. Rom. 15. 6, *ſtare* ἐν ἑνὶ πνεύματι *in uno Spiritu*. Philip. 1. 27, *Perfici* ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ *in eadem mente, & in eadem ſententia*. Atq; hoc ſenſu dicit *Saluſtius*, *Idem velle, & idem nolle, ea demum vera eſt amicitia*. *Euſebius* pariter, *qui videt Filium, videt & Patrem* †, eo quod ipſe ſolus ſit, non alius quiſpiam, Imago Dei inviſibilis; quod illum ſolum Filium unigenitum Pater genuit; vel quod videns Filium per omnia ipſi aſſimilatum, δυνάμει καὶ αὐτὸν ὁρᾶται τὸν πατέρα, virtute ipſum videbit Patrem, κατὰ πάντα ἀφωμοιωμένον αὐτῷ δυνάμει, virtute quoad omnia ipſi aſſimilatum. Patres vero *Poſt-Nicæni* hæc interpretamenta minime admittunt. Quanquam etenim aliquoties exemplo imaginis utuntur, nunquam tamen cum *Euſebio* agnoſcunt imaginem, & id cujus eſt imago, Νὶ εἶναι

† *Ibid. cap. 21.*

οὐσίας, δύο πράγματα, δύο δυνάμεις duas esse substantias, duas res, & potestates duas; sed cum * *Basilio* dicunt, Filium, ut est imago, similitudinem indiscriminatam sive incommutabilem habere: ut vero progenies est, consubstantialitatem conservare; atq; ita Sermo de imagine Deo competenter sumptus, τὴν ἑνότητα ἡμῖν παρίστησι τῆς θεότητος *unitatem nobis divinitatis exhibet.*

* To. 1. Ho. 27. p. 522.

XI. Unum adhuc supereſt ad obstruendam eorum pertinaciam, qui cum in Patrum lectione vel plane hospites fuerint, vel oscitanter occupati; ex eo quod in *Tertulliano* unitatem substantiæ inter Patrem & Filium; in *Novatiano* substantiæ communionem; in *Lactantio* unam substantiam invenerint; hinc colligunt, ex mente horum Patrum *Latinorum*, unam eandemq; Patris & Filij esse numericam essentiam. De *Septimii* & *Lactantii* unitate actum est supra; certumq; est substantiæ communionem apud *Novatianum* nihil minus significare posse, quam essentiæ ejusdem numericæ Filio à Patre communicationem; *ea enim à Patre emissa, ad Patrem nunquam revolvitur, nec gradatim reciproco meatu illa Majestas atq; Divinitas ad Patrem qui dederat eam, rursum ab illo ipso Filio missa revertitur.* Loquitur plane *Novatianus* de substantia mundi, rerumq; omnium, ejus regimini à Patre subditarum. " Dum enim ipse cum his quæ illi " subjecta sunt, Patri suo subjicitur, totamq; Divini- " tatis auctoritatem rursus Patri remittit, unus De- " us ostenditur verus & æternus Pater. Sciant porro ijsdem plane verbis unitatem specificam, vel paulo laxiorem, à Sacris *Scripturis*, & Patribus frequentius exprimi. *Unius & ejusdem substantiæ* † *L. 4. c. 21, 22.* " *sunt omnia*, inquit † *Irenæus*; hoc est, ab uno, " & eodem Deo. Et rursus: Plus aut minus non " in his dicitur, quæ inter se communionem non " habent, & sunt contrariæ naturæ; sed in his quæ " ejusdem sunt substantiæ, & communicant secum,

" ſolum autem multitudine & magnitudine diſ-
" ferunt, quemadmodum aqua ab aqua, & lumen
" à lumine, & gratia à gratia". Et *Origenes* eos Hæreticos vocat, qui negant * *omnes humanas animas unius ejuſdemq; eſſe ſubſtantiæ.* In Sacris Scripturis μία, εἷς, ἓν, αὐτὸ, αὐτὸ, frequenter occurrunt, ubi de re genere aut ſpecie tantum una, de re ſimili, de rebus unione Spirituali & Myſtica conjunctis, agitur.

* *Apol. Pamphili, f.* 162.

Ita *Matth.* 19. 5, 6. de marito & uxore dicit Scriptura, *non erunt duo,* ἀλλὰ μία σὰρξ, *ſed una caro*; & *non ſunt duo, ſed una caro,* nempe per Dei conjunctionem. Et 1 *Cor.* 6. 16. *An neſcitis quod qui adhæret Meretrici,* ἓν σῶμά ἐϛι, *unum corpus eſt? Erunt enim, inquit, bi duo in unam carnem.* Et *Eph.* 5. 31. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt bi duo* εἰς μίαν σάρκα *in unam carnem.* Hæc autem ſic explicant *Conſtitutiones*, vulgo dictæ, Apoſtolicæ; *Erunt duo in carnem unam; ſiquidem maritus & uxor unum ſunt,* [r] *natura, concordia, unitate, diſpoſitione, vita, & moribus; ſeparati autem ſexu & numero.* Et *Origenes* loquens de unione arctiſſima animæ Chriſti cum ejus divina natura, hoc minime mirandum eſſe dicit; *Norunt enim S. Scripturæ, etiam alia,* [s] quæ duo quidem natura ſunt, in unum tamen recenſentur, & ſunt; ita enim de viro & uxore, *non adhuc ſunt duo, ſed una caro*; & de viro perfecto adglutinato verbo ἓν πνεῦμά ἐϛι, *unus Spiritus eſt.* Ubi videmus marito & uxori φύσιν καὶ ἕνωσιν μίαν, naturam & unitatem eandem tribui, fornicatorem cum mere-

---

[r] φύσει, τῇ συμπνοίᾳ, τῇ ἑνώσει, τῇ διαθέσει, τῷ βίῳ καὶ τρόπῳ, κεχωρισμένοι δὲ τῷ σώματι καὶ ἀριθμῷ. L. 7. c. 2.

[s] Δύο τῇ ἑαυτῶν φύσει τυγχάνοντα εἰς ἓν ἀλλήλοις συναριθμεῖται, καὶ ἕνωται. Contr. Celſ. l. 6. p. 308.

trice unum corpus, & virum perfectum cum Deo Verbo unum Spiritum dici.

Rurſus, *Hoc opto*, inquit *Apoſtolus, ut ſtetis* ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ, *in uno ſpiritu, una anima colluctantes pro fide Evangelij*, Philip. 1. 27. & Act. 4. 32, *omnium credentium erat* καρδία καὶ ψυχὴ μία, *cor & anima una:* unde *Origenes* explicat illud Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus.*

Porro vidimus *Origenem* & *Euſebium* eadem verba explicantes ex oratione Chriſti pro Diſcipulis ſuis, *ut omnes* ἓν ὦσι *unum ſint*; *ſicut tu, Pater, in me, & ego in te, ut ipſi etiam in nobis* ἓν ὦσι *unum ſint*, Joh. 17. 21, 22, 23. Eadem explicat *Novatianus* ex his D. *Pauli* verbis, 1 Cor. 3. 8, *Qui plantat, & qui rigat,* ἓν εἰσιν *unum ſunt.* Cum enim præmiſerat hæc verba; " Unum quod ait, ad con-
Cap. 23. " cordiam & eandem ſententiam, & ad ipſam " charitatis ſocietatem pertinet; Novit, inquit, " hanc concordiæ unitatem *Apoſtolus Paulus* dicen- " do, *Qui autem plantat, & qui rigavit, unum* " *ſunt.* Quis autem non intelligat, alterum *Pau-* " *lum*, alterum *Apollo* eſſe? &c. Vide quæ ſupra diximus ad hunc locum.

Deus fecit omnes homines ἐξ ἑνὸς αἵματος *ex uno ſanguine*, Act. 17. 26. *Nos multi ſumus in Chriſto* ἓν σῶμα *unum corpus*, Rom. 12. 5. *Nos multi* ἓν σῶμα *unum corpus ſumus*, 1 Cor. 10. 12. *Baptizamur* εἰς ἓν σῶμα *in unum corpus*, cap. 12, 13. omnes vos ἓν ἐστε *unum eſtis in Chriſto*, Gal. 3. 28. *Ipſe fecit ex Judæis & Gentibus* ἓν *unum, reconciliavit ambos* ἐν ἑνὶ σώματι *in uno corpore*, v. 16. ἓν σῶμα *corpus unum eſt*, Eph. 4. 4. *In quam vocati eſtis* ἐν ἑνὶ σώματι *in uno corpore*, Col. 3. 15. *Sanctificans & ſanctificati* ἐξ ἑνὸς *ex uno omnes*, Hebr. 2. 11. Quot hic ſunt unitates, genericæ, ſpecificæ, ſpirituales, myſticæ? nulla autem numerica. Cur igitur τὸ ἓν, καὶ αὐτὸ, ſi aliquando apud Patres *Ante-Nicænos* inventum eſſet, eandem numero eſſentiam pro certo indi-

indicaret? Exemplum damus in *Ignatio*, apud quem Jesus Christus τῷ πατρὶ ἑνωμένος unitus dicitur Patri: Ep. ad *Magnes.* § 7. & ad *Smyrn.* § 3. Idem vero hortatur *Magnesianos* ἑνωθῆναι τῷ ἐπισκόπῳ *unitos esse cum Episcopo*, § 6. & §. 14, mentionem facit τῆς ἑνωμένης αὐτοῖς προσευχῆς, καὶ ἀγάπης, *unitæ orationis, & charitatis eorum.* *Romanis* deniq; scribit ἑνωμένοις κατὰ σάρκα, καὶ πνεῦμα, *unitis secundum carnem & Spiritum, in omni mandato Christi.* Est Christus ἐν πατρὶ ὢν *in Patre existens*, Ep. ad *Rom.* § 3. Idem vero nos hortatur, omnia ita facere, ut sit αὐτὸς ἐν ἡμῖν ὁ θεὸς ἡμῶν, *ipse Deus noster in nobis*; Ep. ad *Eph.* § 15. Ecclesiæ, quam ἓν σῶμα vocat, Ep. ad *Smyrn.* § 1, optat ἕνωσιν *unitatem carnis, & Spiritus Jesu Christi*, Ep. ad *Magnes.* § 1. eosdemq; subjectos Episcopo esse vult, ἵνα ἕνωσις ᾖ σαρκικὴ καὶ πνευματική, ut unitas sit & carnalis & spiritualis. *Philadelphenos* ait esse ἐν ἑνότητι *in unitate Jesu Christi*, § 5. alios ἐν ἑνότητι θεοῦ *in unitate Dei*, Ep. ad *Phil.* § 8. ad *Polyc.* § 8.

Deniq; *peccatores*, inquit Christus, *faciunt* τὸ αὐτὸ *idem*, Luc. 6. 33. *Scientes quod qui talia faciunt, digni sunt morte*, τὰ αὐτὰ ποιοῦσιν *eadem faciunt*, Rom. 1. 32. *Tu qui judicas*, τὰ αὐτὰ πράσσεις *eadem facis*, Rom. 2. 1. τὸ αὐτὸ φρονοῦντες *id ipsum invicem sentientes*, cap. 12, 16. *non omnis caro* ἡ αὐτὴ σὰρξ *eadem caro est*, 1 Cor. 15. 39. *Deo gratias qui dedit* τὴν αὐτὴν σπουδὴν *eandem sollicitudinem in corde* Titi, 2 Cor. 8. 16. *Habentes* τὸν αὐτὸν ἀγῶνα *eundem conflictum*, Philip. 1. 30. *habentes* τὴν αὐτὴν ἀγάπην *eandem charitatem*, cap. 2. 2. *Quia enim pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse participavit* τῶν αὐτῶν *de eisdem*, Hebr. 2. 4. *ne quis cadat* τὸν αὐτὸν ὑποδείγματι *eodem exemplo*, c. 4. 11. repetentes τὰς αὐτὰς θυσίας *eadem sacrificia*, c. 10, 11. τὴν αὐτὴν ἔννοιαν *eadem cogitatione armamini*, 1 Pet. 4. 1. τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων *easdem passiones*, c. 5, 9. Eadem ergo substantia apud patres *Latinos*, non

poſtulat neceſſario eandem numero eſſentiam ſive ſubſtantiam.

His quæ ex Patribus produximus, ad explicandum quo ſenſu Patres *Antenicæni* Dei monarchiam & ſingularitatem agnoſcebant, & objectioni de duobus Dijs à Fide Chriſtiana introductis reſpondere ſolebant, reſtat ut ſubjungamus *Præſulis* Cl. de hac re ſententiam, nempe Sect. 4. cap. 4. p. 487. " Doctrinam de ſubordinatione Filij ad Patrem, " ut ad ſui originem ac principium, ideo cognitu " credituq; perutilem ac plane neceſſariam eſſe " antiqui Doctores exiſtimarunt, quod hac impri- " mis ratione ita Filij Divinitas aſſeratur, ut ni- " hilominus Dei unitas & monarchia Divina ſarta " tecta conſervetur. Scilicet quamvis *duobus*, nem- " pe Patri & Filio, Dei nomen & natura commu- " nis ſit; tamen quoniam alter alterius ſit princi- " pium, à quo propagatur, idque *interiori pro-* " *ductione*, non externâ, ſit ut Deus eſſe unicus " merito dicatur. Quam rationem pariter ad Spi- " ritus Sancti *Divinitatem* pertinere, *Priſci* illi cre- " diderunt.

Mira equidem ſunt hæc, & mihi Patres *Antenicænos* non ſemel nec oſcitanter legenti proſſus nova; nempe, *Antiquos Patres credidiſſe & docuiſſe, Filium Dei à Patre propagatum eſſe* interiori *productione, non externa; & hanc doctrinam planè neceſſariam exiſtimaſſe, ut ita Filij Divinitas aſſeratur, ut nihilominus Dei unitas & monarchia Divina ſarta tecta conſervetur.*

Semper enim in Deo Patre fuiſſe λόγον ἐνδιάθετον Sermonem in corde ejus inſitum, eundemq; generatione προφορικὸν prolatum eſſe, quando Deus ea facere voluit de quibus deliberaverat, Patres *Antenicæni* docent; eumq; genuiſſe Patrem, ἐξερεύξαμενον ἀπὸ τῆς ἰδίας καρδίας, *eum ex ſe eructando ante Univerſa*, diſertim aſſerunt, & ex *Pſalmo* 44, ſive 45 probant. Hinc Filium à Patre προπεμφθῆναι, προελθεῖν, ἐξεληλυθέναι, ex-

exſilire, *progredi*, *exire*, iſdem Patres uno ore prædicant; Deumq; Patrem ſolum fuiſſe aduſq; Filij generationem, ex *Theophilo Antiocheno*, *Tatiano*, & *Tertulliano* probavimus. Ipſe deniq; *Tertullianus*, ad quem nos hic præcipue remittit *Præſul*, expreſſe agnoſcit, immo contendit, *Filium de Deo prolatum, & prolatione generatum, & à Patre emiſſum eſſe.*

Ad hæc, inter Patres *Antenicænos*, ad quos hic *Præſul* provocat, *Hippolytum*, *Dionyſium Alexandrinum*, *Origenem in Epiſtola ad Romanos*, ſpurios eſſe non eſt dubitandum. *Novatianus* cap. 31, Filium Patri æqualem eſſe, verbis expreſſis & ſubinde repetitis negat, ut ſupra vidimus, n. 9. *Origenes contra Celſum*, loco laudato, multa dicit quæ *Præſulis* ſententiam plane evertunt & convellunt, ut num. 2. & 6. probavimus. Quibus adde, quod p. 385, negat Chriſtianos alium venerari παρὰ τὸν ὄντα πάντων θεὸν, *præter eum qui eſt Deus ſuper omnia.* Et p. 387, dicit quoſdam tantum in multitudine credentium affirmare τὸν Σωτῆρα ἡμῶν τὸν ὄντα πάντων θεὸν, *ſervatorem noſtrum eſſe Deum ſuper omnia*; ἀλλ' ἔτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον *nos autem non ita ſentimus, qui credimus ei dicenti, Pater qui me miſit, major me eſt.* Ubi Chriſtianos διχομύθους διαφωνίαν *à cæteris diſcrepantes*, & Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia ſtatuentes, *Noeti* diſcipulos eſſe liquet, qui ἀναιρῶντες δύο εἶναι ὑποστάσεις, τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, *ſubvertentes* illam Eccleſiæ doctrinam, quæ ſtatuebat *duas eſſe hypoſtaſes Patris & Filij*, ſive *Patrem & Filium* δύο εἶναι ὑποστάσει πρόσωπα, ex conſequentia docuerunt *Chriſtum eſſe Deum ſuper omnia.* Hinc dicit * *Euſebius*, *Eccleſiam Sabellium inter atheos & blaſphemos repoſuiſſe, quod auſus ſit dicere* αὐτὸς εἶν ὁ ὄντα πάντων θεὸς, *ipſum eſſe Deum ſuper omnia.* Denique, † *Quid clarius*, inquit, *loco illo Athenagoræ, qui, poſtquam dixerat unum eſſe Patrem & Filium, continuo modum unionis declarat his verbis.*

* *Eccl. Theol. l. 2. c. 4. p. 498.*

† *Sect. 4. c. 4. p. 498.*

Quod

Quod ſit in *Patre Filius*, *& in Filio Pater*, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος *unitate & virtute Spiritus.* In quibus verbis hoc tantum clare video, Deum nempe Filium unum cum Patre eſſe unitate illa Spiritus, qua orat Chriſtus, *Joh.* 17. 21, 23, *ut omnes credentes* ἓν ὦσιν, *unum ſint.* Vide quæ ſupra diximus ad num. 11. hujus capitis.

Adhuc magis mirandum eſt, *Præſulem* aſſerere potuiſſe *Priſcos illos credidiſſe eandem rationem pariter pertinere ad Spiritus Sancti Divinitatem.* Conſtat etenim ex verbis M. * *Baſilij*, quæſtionem de Spiritus Sancti Divinitate fuiſſe ζήτημα παρασιωπηθὲν τοῖς πάλαι, *quæſtionem à Priſcis illis ſilentio prætermiſſam*; eoſq; qui Spiritus Divinitatem propugnabant, opprobriis oneratos fuiſſe † ὡς καινοτομοῦντας περὶ πνεύματος ἁγίου, *tanquam nova de Spiritu Sancto dogmata inducentes*, ingenue fatetur. *Irenæum*, *Pſeudo-Clementem*, *Athenagoram*, *Origenem*, *Dionyſium Alexandrinum*, *Pierium*, *Theognoſtum*, *Novatianum*, *Lactantium*, *Euſebium Cæſarienſem*, de Spiritu Sancto male ſenſiſſe, ex Patribus ipſis probavimus. Unicum *Tertullianum* hic inducit *Præſul* de Spiritu Sancto loquentem; de cujus ſententia paradoxa actum eſt hic *num.* 1°.

* *Ep.* 387.

† *Ep.* 73.

MVSEVM BRITAN NICVM

FINIS.